DE POSTREMIS MOTIBVS GALLIÆ VARIA VTRIVSQVE PARTIS

scripta scitu dignissima; quorum Catalogus tertia pagina exponitur.

OMNIA FERE EX GALLICO in Latinum sermonem, ad vsum eruditorum & historiæ studiosorum, fideliter conuersa.

Addita est Præfatio, qua scriptorum ratio, historia, & Analysis declaratur.

FRANCOFVRDI
Apud Ioannem Wechelum,
MDLXXXVI.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

NE te offendant, candide Lector, phraſes quę-dam quæ in his narrationibus paſſim occurrent, in quibus ii qui Latinis verbis reddiderunt ea quę Gallice conſcripta fuerant, magis veritati quã latinitati ſtuduerunt; & conati ſunt ad viuum graphice depingere ea ipſiſſima quæ & qualia à Gallis ipſis narrata fuerant. Ex quo factum fuit vt multi Galliciſmi reperiantur, multa Gallorum idiomata; quæ Gallicolatina videbuntur. Quæ tamen non in ſingulis tractatibus occurrunt, ſed in ijs tantum in quibus præſertim ea quæ Gallice ſcripta erant, ad verbum Latine reddenda erant. Omnia æqui boniq; conſulito. Vale.

CATA-

1 Summa ſecreti cuiuſdam conſilij habiti inter Papam & viros quoſdam, quibus maximè fidebat, reperta inter ſchedas Aduocati Dauidis, MDLXXVI anno. *pag.* 1.

2 Declaratio Cardinalis Borbonij & confœderatorum de cauſis propter quas arma ſumpſerunt. p. 11.

3 Declaratio voluntatis regiæ de nouis motibus excitatis in regno Galliæ à confœderatis. p. 28.

4 De Guiſiorum in armis capeſſendis mente & ſcopo, ad Gallos Paræneſis. p. 51.

5 Declaratio prima Regis Nauarreni, qua crimen hæreſis & ſchiſmatis à confœderatis ſibi obiectum diluit. p. 105.

6 Vera hiſtoria de Maſſilia capta per confœderatos teſtata literis ſuæ Maieſtatis ad Comitem de Lude & alios. p. 167.

7 Edictum Regis de reuocatione Edictorum pacificationis, & reunione ſubditorum ſuorum in ſinum Eccleſiæ Romanæ. p. 177.

8 Literæ Regis Nauarræ ad Regẽ Galliæ. p. 185.

9 Declaratio & proteſtatio Regis Nauarræ, Principis Condæi, & Ducis Mommorancij aduerſus progeniem Lothatingicam ſacri fœderis & belli ciuilis auctorem. p. 193.

10 Declaratio Regis Galliæ ad Edictum promulgatum de reuocandis ſubditis ſuis ad vnitatem Eccleſiæ cath. apoſt. Rom. p. 233.

11 Sixti v. Papæ excommunicatio contra Regem Nauarræ & Principem Condæũ cum eiuſdem excommunicationis cẽſura. p. 245.

12 Reſponſio Regis Nauarræ & Principis Condæi ad eam Romæ publice affixa. p. 305.
13 Binæ literæ Nauarreni Regis ad Senatum Pariſienſem & ad Sorbonam: Et Philippi Mornæi Pleſſiaci epiſtola ad Regem Galliæ. p. 307.
14 Præſcripta quæ Rex Nomarchis, Præfectis & eorum Legatis imitanda propoſuit, cum exequeretur Edictum ſuæ Maieſtatis de reuocandis ſuis ſubditis ad vnitatem Eccleſiæ cath. apoſt. Rom. promulgata menſe Decembri Anno MDLXXXV. p. 334.
15 Confeſſio quam ex mandato Regis edere debent ij qui abiurant, p. 341.
16 Literæ Regis Nauarreni ad tres ordines Regni & ad ciuitatem Pariſienſem. p. 345, 362.
17 Regibus Galliæ & Nauarr. conſilium ad ſopienda ſchiſmata. p. 369.

PIO

PIO ET PRVDENTI LECTORI SALVTEM A DOMINO precatur T. B. A.

NON minus aptè quam vere dixit orator, historiam testem esse veritatis & lucem temporis, sed tenebrarum mater. & mendacij parens a quibusdam vocatur, quod sæpius in ea fabulæ multæ legantur, & commenta non pauca, quæ veris narrationibus fidem detrahunt. Etenim cum historia ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν nomen habeat, pro historiographis habendi non sunt illi, qui de illis scribunt quæ non cognoscunt, aut quibus gerendis non interfuerunt: incompertaq; pro compertis narrant, vel præpostere deprauant vera quæ à fide dignis narrantur. Spectare vero res omnes non tantum difficile, sed ἀδύνατον cum sit, earum tamen notitia non anceps peti potest ex Actis publicis, testibus omni exceptione maioribus. Quamuis enim qui ea in lucem edunt, multa comminisci soleant, vt fucum faciant veritati: tamen si prudenter inter se comparantur, extabunt vestigia certa ex quibus ad veritatis cognitionem peruenirj possit. Itaq; in Compendiũ historiæ futuræ de postremis Galliæ motibus, hunc libellum contexuimus ex scriptis vtriusq; partis in lucem emissis, quæ non ab vno sed plu-

ribus ex Gallico ſermone in Latinũ fere omnia conuerſa ſunt, vt illis conſuleretur, quibus Gallica non patent: Analyſin vero documentorum paucis ſubducemus, ex quibus Cauſæ huius poſtremi belli Gallici facile deprehendentur. Primum documentum anno 1576. typis excuſum fuit, ſed rurſus in capite horum ſcriptorum collocatur, quod ſit veluti baſis & fulcimentum quo ſuſtinetur pondus conſiliorum & conatuũ quibus Gallicum regnum iamdiu inuaditur. In eo mentio fit Dauidis cauſidici Pariſienſis, qui Guiſiis fuit addictiſsimus. Is Roma in Galliam reuerſus, ſecum attulit Epitomen narrationis clam habitæ inter Papam & alios quoſdam ex quo natæ ſunt cõfœderationes Gallicæ à Lotharingis procuratæ, quæ collimant ad ſtudioſos Reformatæ Religionis delendũ, Regem Nauarrenum, Principem Condæum, & quoſdã primarios Catholicos è medio tollendum: ad Valeſios carceribus obtrudendum, & reſtituendum Diadema Lotharingis iure poſtliminij: illud enim prætendunt à Capeto vſurpatum fuiſſe anno Domini 988, & per vim ademptũ Carolo Lotharingo proximiori hæredi ſtirpis Caroli Magni, à quo ſuum genus repetũt. Quicquid ſit defuncto duce Alenconio 1584, vnico fratre Regis ἀτέκνῳ, is ſolito propenſior viſus eſt in Regem

Nauar-

Nauarrenum. Ablegauit ad eum intimũ ſuum Ducem Eſpernonium cum mandatis valde benignis, quorum etiam comitatem legatus ſermone ſuo ſubſequutus eſt, ſe cupere maximè, ſi ſine liberis moriatur, vt Galliæ hæres ab omnibus agnoſceretur. Quod cũ Lotharingi animaduertunt, confœderatorum fidem interpellãt, perſuadentq; Carolo Borbonio Cardinali, Depontano ſeni, vt primi principis conſanguinei partes aſſumat, eum in regni ſucceſsione præferendum eſſe filio fratris ſui, quem hæreticum, relapſum, ſchiſmaticum & Eccleſiæ Romanæ perſecutorem eſſe accuſant. Itaq; de bello ciuili mouendo coniurati conueniunt. Ipſe Carolus Borbonius Cardinalis belli anteſignanus Peronnam occupat. Guiſii ad arma vbiq; conclamant: Catalaunum, Rhemos, Tullum, Andegauum, Nannetes, Diuionẽ, Maſsiliam, & alias Galliæ vrbes vi inſidiisq; capiunt: equitem conſcribunt in Germania, & peditem in Heluetia non mediocrem, auro vt fertur Hiſpanico: ornarunt etiam donaticis enſibus nobiles quoſdã Germanos viros militares, in quibus ſtemmata Gallici regni & principatus Lotharingici exarata ſimul erant: deniq; vltimo Martij MDLXXXV, *communi calculo Declarationẽ promulgant de cauſis propter quas arma ſumpſe-*

runt. In hanc publicata est mox commonefactio scitu digna de Guisiorum mente & scopo, qui etsi Ecclesiæ Romanæ, Iustitiæ, Nobilitatis & plebis asserendæ studium præ se ferant, re tamen ipsa regnum affectant. Cæterum in hac Reipub. Gallicæ perturbatione Rex declarationem voluntatis suæ edidit qua testatur nouos hos motus à coniuratis se non approbante excitatos fuisse: factum illorum valde improbat, rationesque diluit, vt arma deponant, iubet, præfectisq; prouinciarum Regni Gallici edicit, vt in eos tanquam hostes, & perduellionis reos impetum faciant. Scripsit eadem ad Reginam Angliæ, Principes imperij & Heluetios, quorum auxilia orat & exorat, ad coniuratorum, vt vulgo credebatur, expugnationem. Adhæc Regem Nauarrenum per Epistolam & fidum nobilem admonet, vt de motibus coniuratorum sit securus, suo se tantum loco contineat & tueatur cum reformatæ Religionis studiosis, quibus vt clientela regia magis magisq; prospiciatur, mandat vt Edictum pacificationis præconio publico in omnibus Regni locis rursus recitetur & obseruetur: sumunturque supplicia de quibusdam coniuratis qui Massiliam & aliquot vrbes interceperant.

Rex

Rex Nauarrenus ſupradictis fidem ſummam adhibet, & Regi gratias agit pro illa beneuolentia & cura quam in ſe & Eccleſias Reformatas profeſſus fuerat, emiſſeq; Maieſtatem regiam obteſtatur, vt Declarationem quam exiſtimationis ſuæ tuendæ cauſa edi curauerat, beneuole perlegat. In ea negat ſe hæreticum eſſe vel dici merito poſſe, cum diſcrepantia ab ſcripturis ſacris dogmata nec ſequatur, nec pertinaciter defendat: petit de prætenſa hæreſi ab aduerſariis doceri & legitimo concilio ſe ſubijcit. Tridentinum renuit, quod ab Henrico II, Carolo IX, & ampliſſima Curia Pariſienſi repudiatum fuerit, nec in Gallia ad hunc vſq; diem receptum: imo contra illud ſit proteſtatum ob viginti octo exceptiones à legatis Regum prædictorum. Præterea affirmat ſe in ea Religione à teneris fuiſſe educatum quam Canonicam eſſe credat, quod ſcriptis Canonicis veteris & Noui teſtamenti conueniat: eo autem tempore natum quo non ſolum in Gallia, ſed Europa fere vniuerſa omnium ordinum viri Eccleſiæ Reformationem vrgerent. Negari non poſſe in Eccleſia Romana craſſiſſimos abuſus vigere: eius ſciſſuras non ſibi ſed iuxta canones adſcribendas eſſe eis qui cauſam ſchiſmatis præbuerunt.

Postremo coniuratorum dolos retegit, mẽdacia refutat, offertq; regi, vt nobilium sanguini, & plebis calamitatibus parcatur, se cum suis contra coniuratos vel duello cõtra Guisium coniuratorum ducẽ pugnaturum: denigꝫ testatur Regis salutem & obedientiam vita pretiosiorẽ sibi esse: ad cuius fidem omnes Ecclesiæ Reformatæ respiciunt, & tanquam ad sacram anchoram confugiunt. Præterire vero silentio non possumus tunc temporis Lutetiæ excusam fuisse Apologiam Catholicam aduersus perturbatores pacis in regno Galliæ, quæ ex Gallico idiomate Latina facta est, quod mereatur eruditorum oculis & manibus teri. In ea enim, præter Valesiorum, Borboniorum & Lotharingorum genealogias, pertractantur graues quæstiones quæ vtrinque in negotio Religionis & Regni Gallici successione agitantur.

Cum itaq; Rex vt supra attigimus, exercitum Helueto & Gallo milite simulq; equite firmissimum prope Lutetiam in vnum coegisset, contra coniuratos pedetẽtim progreditur, ad ipsorũ vt videbatur internecionem: sed repente cœptum est de pace agi, & paucis interiectis nunciis & Reginæ matris negotiationibus inter Regem & coniuratos contrahitur, his legibus;

Ne in Gallia Religio alia obtineat quam Roma-

Romana, vtque prætensæ Ecclesiæ reformatæ earumq; studiosi, exilio mulctentur; propugnatores verò bello profligentur. *In hunc finem Edictum pacificationis statim reuocatur contrariis Edictis, quibus Rex iubet vt omnes subditi redeant vnanimiter in sinũ Ecclesiæ Romanæ: cuius doctrinam, obedientiam, & cultum si quis detrectarit, tenebitur intra sex menses (qui tamen postea ad quindecim dies sunt reducti) decedere ex omni Gallia. Præterea sancita fuit formula Abiurationis qua Religio reformata ab eius studiosis non solum abneganda est, sed Papa Ecclesiæ caput agnoscendus, Missa, purgatorium, sanctorum inuocatio & huius classis multa pro fidei articulis iuranda & amplectenda sunt; recusantium bona publicabantur, & capita ipsorum animaduersioni Regis obnoxia erunt. Illi vero qui ad regem Nauarrenum vel loca munita se receperunt, contra Regis imperium fecisse censentur, ipsorumq; facultates, nomina, & actiones fisco adiudicantur. Quæ omnia vt executioni mandentur Regis & coniuratorum exercitus in vnum conueniunt, & aperto Marte Ecclesias reformatas earumq; patronos ad interitum prosequuntur, nulla sexus, ætatis, conditionis, aut consanguinitatis habita ratione.*

Equidem mei non est instituti hic commemorare, quam grauiter perculsi fuerint & commoti Gallorum Euangelicorum animi ex hac insperata, nec opinata rerum mutatione: id enim prudens lector assequi poterit, ex inspectione literarum Regis Nauarreni ad Regem Galliæ, nec non eiusdem, Principis Condæi, & ducis Mominorancij DECLARATIONE ET PROTESTATIONE *aduersus progeniem Lotharingicam, Sacri fœderis, & belli ciuilis auctorem. Hoc vnum dicemus, fermentum fermento additum fuisse, Sixti* V *Papæ excommunicatione, qua Regem Nauarrenum, & Principem Condæum hereseos, schismatis, contumaciæ, multorumq; criminum conreos facit, eosdem inauditos proscribit, regnis, principatibus, & dominijs priuat, omnibus, inprimis Gallici Regni successionibus mouet, inhibetq; ne subditi ipsis obediant, quos ex plenitudine potestatis suæ à iuramento obedientiæ soluit.*

In hanc Papæ V *declarationem, seu Excommunicationis Bullam reclamatum fuit Romæ, affixis pro valuis templorum Regis Nauarreni & Principis Condæi protestationibus, editaque est Censura breuis quidem, sed qua probatur Excommunicationem illam iniustam*

&

& beneficio prouocationis nullam esse, adductis scripturæ sacræ locis, patrum testimoniis, legibus, canonibus, historiis, & Gallici regni priuilegiis.

Postremo in hoc libello complexi sumus Epistolas ad Regem Galliæ, Curiam supremam Parisiensem, Sorbonam, tres ordines Regni, & Lutetiam ciuitatem Parisiorum missas, de causis præsentium motuum, de ratione componendi eos, iustæq; pacis constituendæ in Regno Galliæ. Dignissima certe scripta quæ ob omnium oculos ponantur, tum propter stili venustatem, præsertim vero propter argumentorum grauitatem, quibus Bellum Ciuile dissuadetur, Concordia, eiusque media indicantur, & probantur.

Habes pie Lector rationem & Analysim horum documentorum, nec non historiam, seu potius tragœdiam Postremi belli Gallici paucis descriptam in suo proœmio, quid subsecutum in dies, & subsecuturum sit in posterum difficile non est enarrare. Nempe secutæ sunt blasphemiæ, apostasiæ, sacrilegia, incendia, proditiones, vrbium expugnationes, rapinæ, furta, latrocinia, deflorationes, stupra, adultera, incestus, homicidia, fames & pestes. Auertat vero Deus benignitate sua Regni

Gallici casum qui ex his motibus imminet. Perturbare Rempub. cuiuslibet est, seruare autem solius Dei. Quamobrem sapientes semper duxerunt non leui ex causa suscipienda esse bella & inprimis ciuilia, quum mala quæ pariunt in caput illorum recidant qui contra fidem & iusiurandum bellorum Camarinam mouent, & sibi ipsis perniciem accersunt. Etenim qui in Dei NOMEN *peccant, Deum vltorem experiũtur. Vtinam vero Heli sacerdotis vox auribus & mentibus omnium insonaret; Si peccauerit vir in virum placari ei potest Deus, si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? sed dæmonum quorundam voces magis exaudiuntur, qui periurium licitum esse & hæreticis fidem seruandam nõ esse occinunt. Portentosum axioma, quod cõsultoribus sæpe pessimum fuit, vt historiæ testantur, ex quibus vnam subducemus, quæ satis recenti memoria celebratur.*

Vladislaus Pannoniæ Rex pacem cum Amuratho Turcarum imperatore solenni iureiurando interposito fecerat. Iulianus Cardinalis cum bene gerendæ rei occasionem oblatam iudicaret, fidem infidelibus seruandam non esse Christiano Regi persuadet, præliumq; acerrimum accendit. Amurathus vero conspecta in hostilibus signis Christi imagine, ita fertur exclamasse,

se, Crucifixe, crucifixe, vide gentem tuam perfidam quæ à me non lacessita ius omne ac fidem violauit. Si Deus es aliquis, fac vt periurij pœnam luat. Itaq; commissa pugna ad Warnam obtruncato Vladislao, Iuliano perfidiæ ministro morte misera cõsumto, cæsa sunt triginta Christianorum millia. Exemplum violatæ fidei illis pertimescendum, qui non Turcis sed Christianis, non exteris sed ciuibus fidem datam cum iuramento sæpius fregerunt: Gallia certe expiationem periurij cladibus infinitis ab hinc annis viginti experta est, multorumq; periurorum monumenta posteris consecrauit. Faxit vero Deus omnipotens vt tandem nocendi cupiditate, vlciscendi crudelitate, dominandi libidine, & feritate rebellandi deposita, omnes qui inuocant Deum pacis, pacatis animis concordiam alant & persequantur: quam vt assequamur, pœnitentia agenda, pietas colenda, charitas ex præscripto Euangelij fouenda est. Ex Musæo nostro Cal. Martij MDLXXXVI.

SVMMA SECRETI CVIVSDAM CONSILII HABITI inter Papam & viros quosdam, quibus maxime fidebat, Anno 1576. post Ducis Alenconij ex Lutetia discessum, reperta inter schedas Aduocati Dauidis.

TVMVLTVS Gallicos plus damni attulisse sanctæ Ecclesiæ quam emolumenti, vel vna illa licentia scriptitandi & detrahendi sanctæ sedi plus satis demonstrat. Hac enim hæreticorum animi confirmati obduratiq; sunt, plerique vero Catholici ad contemptũ & ludibriũ adducti. Exitus etiam victoriarum, quæ in pacẽ Regi ignominiosam & Ecclesiæ damnosam reciderunt, tandem ostendit Hugonis Capeti stirpem, etsi in singularem regni Carlouingici administrationẽ successit, benedictioni tamen Apostolicæ nõ successisse, peculiariter in Caroli Magni stirpem & posteritatem collatæ. Quinimo quemadmodum Capetus vsurpando coronam temeritate sua & arrogantia violauit benedictionem in Carolum Magnum collatam; ita in suum & posterorum suorum caput perpetuam imprecationẽ & maledictionem eiusdem sanctę sedis Apo-

ſtolicæ contraxit. Quæ maledictio ſucceſſores ſuos reddidit refractarios & inobedientes ſanctæ Eccleſiæ. In cuius perniciem damnandum illum errorem introduxerunt (quem Galli libertatem Eccleſiæ Gallicanæ nuncupant) quæ nihil aliud eſt quam perfugium Valdenſium, Albigiorum, Pauperum Lugdunenſium, Lutheranorum & ſimilium. Vnde non eſt mirum, ſi victoriæ Regum, qui ſedecim abhinc annis pro Eccleſiæ Catholicæ defenſione bellum geſſerunt; nullos proſperos ſucceſſus habuerunt, neq; vnquam habituræ ſunt, quamdiu ſceptrum in illa Capeti familia permanebit.

Sed ex conuentione huius nouiſſimæ pacis videtur Deus præparaſſe litigatores & iudices, ijſdemq; occaſionem præbuiſſe veris Caroli ſucceſſoribus coronam reſtituendi (ex quibus ne vnus quidem ad hunc vſq; diem repertus eſt, qui ſacroſanctæ ſedi fidem, obſequium & debitam obſeruantiam non præſtiterit: eaq; fidelitate ſeſe verum, iuſtum ac legitimum Apoſtolicæ benedictionis in Franciæ coronam congeſtæ hæredem non demonſtratit) ac proinde his vi & armis illius temporali hære-

hæreditate ſpoliatis aduerſus præſcriptionem ius reſeruaſſe.

Omnibus perſpicuum eſt Capetiorum ſtirpem diuinitus in reprobum ſenſum præcipitem ferri; quorũ alij vertigine animi laborantes homines ſunt ſtupidi, vecordes & ſtolidi: alij vero propter hæreſes Deo hominibusq; inuiſi, à ſancta cõmunione Eccleſiæ reiecti & proſcripti ſunt.

Cuius maledictionis argumentum eſt, quod eorum nonnulli nati ſint habitu corporis vitioſi; deinde quod in ætatis flore nullis ſuo corpore regni hęredibus relictis pereant: quodq; nulla ſpes eorum ſtirpis & generis reliqua ſit, ac proinde regni hæreditas in hæreticos & proſcriptos magno ſedis Apoſtolicæ incommodo tranſitura ſit. Ex quo cum tantum hoc tempore periculum immineat, omnis ab omnibus Catholicis conatus adhibendus eſt, vt corona Gallica veris ac iuſtis Caroli hæredibus reſtituatur: præſertim cum ii ſic & animo & corpore floreant ac vigeant, vt ad res quoque maximas & valde laudabiles gerendas aptiſſimi eſſe cognoſcantur. Superiora bella profuerunt illis ad honores, imperia & præfecturas adipiſcendas. Pax

vero restituet eisdem legitimam regni hæreditatẽ summa cum totius Gallicæ gentis voluntate, consensu & electione.

Quam ob causam dubitandum non est, quin pacis conditiones hæreticis in Edicto concessæ (quantumuis commodæ & opportunæ his videantur) nõ ab humano, sed diuino potius & cœlesti consilio prodierint: vt laus, honos & gloria, interitus & ruinæ hæreticorum penes solum Deum & benedictionem sacri ipsius in terris vicarij, permaneat. Huic vero rei vt caueatur, danda erit opera, vt in omnibus catholicis ciuitatibus salutares conciones habeantur, accommodatæ ad ciuium animos excitandos & commouendos; prohibendosq; conuentus abominabilis sectæ nouissimo Edicto permissos.

Monebitur Rex, ne sese opponat, neve impediat hos motus, qui excitabuntur; sed summum rei gerẽdæ imperiũ Duci Guysio secreto cõmittat. Qui suę Maiest. autoritate fultus celso erectoq; animo fœdera cum Nobilitate & ciuibus vrbium inibit; quos singulos Sacramẽto sic obstringet, vt non tantũ ipsius authoritati, sed priuatim ac proprie ipsius fidei obligentur, & iurent

se

se non alium fœderis Principem quàm ipsum Ducem Guysium agnituros.

His constitutis Guysius operam dabit, vt sacerdotes parochialibus Ecclesijs præfecti non tantũ in oppidis, verum etiam in pagis eorum omnium nomina conscribãt atq; in libellũ referant, qui per ætatẽ arma ferre poterunt; eosq; libellos ad se mittant. Qui cõtinuo capitaneos in illas parochias dimittet, quo videant, ad quod quisq; armorum genus idoneus sit. Monebuntur etiam sacerdotes, vt in confessione auriculari vnumquemq; illorum conscriptorum edoceãt de iusta istius belli, vt puta defensiui causa propter conscientiarum rationẽ, eosq; vt arma sibi quamprimũ comparent, cohortabuntur. Rex interim comitia ordinum regni statim indicẽda curabit (quæ fossa est ab ipsis hæreticis facta, vt in eam incidant) atque ad eam rem quam maxime poterit, apparatum ac pompam & solennitatem secundum morem maiorum instituet; Quosq; fidelissimos sibiq; maxime deuotos cõsiliarios habebit, eos in singulas regni sui prouincias ablegabit, vt particulares cuiusq; præfecturæ cõuentus regant secundũ suæ Mai. voluntatẽ prius in-

Hoc factum est ante comitia Blesiis habita.

Hæc Blesiis indicta fuerunt sub finem anni 1576, & initium 77. Et parum abfuit, quin in perniciem conuerterentur Euãgelicorum, qui ea nihil sinistri suspicantes postulauerant.

formatam & instructã consiliis & artibus eorum quibus plurimũ tribuit; & quibus præ cæteris Sanctitas sua maximè fidit propter fidelitatis sacramenta quæ ipsi præstitere; & obligationem, qua Regi catholico obstricti sunt. Regina mater interea ad filium suum minorem natu, perditum & aberrantẽ proficiscetur; Cui facile persuadebit, vt ad Regem fratrem suum accedat, & vnà cũ eo ad regni comitia proficiscatur. Ad quæ conabitur etiam pellicere Regem Nauarræ generũ suũ & Principẽ Condeũ: Atq; interminabitur, nisi sese ad ea comitia sistant, fore vt rebelles & contumaces pronunciẽtur. Et vt illis omnis suspicionis & timoris occasio adimatur, Dux Guysius cũ suis omnibus prius ex aula quasi ob indignationẽ aliquam discedet. Rex vero relicta Lutetia in locum liberrimi accessus se conferet, quo etiã frater eius ad eũ veniet; quẽ reliquosq; omnes qui ipsum comitabuntur, summa benevolentia & alacritate animi, qua decet tractare eos, quos securos cupit reddere, excipiet. Sub comitiorum tempus Capitanei parochiarũ pro se quisque milites suos lustrabũt: ex ijsq; eum numerũ deligent; quẽ Sacri fœderis princeps præsi-

Hoc factum & Dux adductus est ad comitia.

Hoc tentatũ variis artibus, sed frustra.

præfinierit: vt eo celerrime progrediantur & pedem moueant, quo accersentur. Vbi dies comitiorū venerit; antequā quicquā ad conuentum referatur, fides & iusiurandum ordine à singulis exigetur, quod in ijs Comitijs decretū fuerit, se sanctè obseruaturos. Ciuitates præterea & communitates obligabunt ad sumptus totius belli sustinēdos. Postremo sua Sanctitas rogabitur, vt sua authoritate comprobare; ratumq; haberi velit, quod in iis comitiis decretū fuerit; vtq; parē eorum decretorū vim esse velit, quæ pragmaticæ sanctionis inter sacrosanctam sedē & hoc regnum esse cōsueuit. Quemadmodū olim in cōcordatis Regū & Pontificū factitatū est. Porro vt Capeti generi, stirpi familiæq; ius hęreditatis regię adimatur, eaq; abdicatio Comitiorum potestati pro more institutoq; maiorum permittatur; decretum fiet, vt, Si quis regij sanguinis Princeps, si qui proceres, nobiles aut alij eorū executioni, quæ Comitia decreuerint, intercedere audeant: Princeps ex nunc vt extunc regni hæreditate indignus pronuntietur: Proceres vero, nobiles aut alij honoribus dignitatibusq; omnibus indigni iudicētur; bonaq; eorum fisco addi-

cantur; vt pecuniæ ex eorum venditione collectæ in sumptus dictæ executionis cõuertãtur. Hi vero si præsentes adfuerint; capitali supplicio afficiantur; sin minus illorũ effigies patibulis affigãtur: interea percussoribus atq; interfectoribus illorũ præmia publice proponantur. His cõfirmatis reb⁹ & iureiurãdo ad eundem finẽ exacto, præstitoq; status regni nouum fidelitatis sacramentũ S. Petri successori præstabunt; profitebũturq; se victuros morituros q; in eius fidei religionisq; formula, quæ à Tridentino concilio præscripta est; eiq; concilio status regni in ijsdem comitijs subscribent, pronunciabũtq; Edicta omnia quæ in hoc regno aduersus illius cõcilij authoritatẽ facta sunt, rupta, reuocata & irrita habenda esse. Cõtra vero Edicta ad hæreseon extirpationẽ ante promulgata, retinenda & obseruanda esse. Rex qui modo rerũ potitur, sacræ sedis authoritate & dispẽsatione soluetur ab eo iureiurãdo, quod hæreticis, eorumq; sociis & coniuratis præstitit. Quibus certũ tempus præstituetur, quo pœnitentiã agant; qua cognita à Magistratu Ecclesiastico veniã consequãtur; post veniã criminis læsæ Maiest. à Principe deprecabũtur.

Hoc etiam factum in comitiis Blesijs habitis.

Quo-

Quoniam vero huius articuli executio impediri aut retardari à quibusdã rebellibus & armatis prouincijs poterit, Regi supplicandum erit, vt Legatum sibi generalẽ substituat, Principẽ idoneũ & rei militaris peritũ, animo, ætate & corpore valentem ac florentem, idoneumq; ad consiliũ suo Marte capiẽdum & bellicos labores sustinendos: præsertim qui semper se purũ atq; integrum ab omni hæreticorũ tabe, cõtagione & consortio præstiterit. Rogabitur deniq; vt honorẽ hunc Duci Guysio deferat, quẽ constat omnibus ingenij & corporis ac militaris disciplinæ præsidijs ad tantum munus sustinendum munitũ instructumq; esse. Tum vero moneri Regis frattem oportebit, quantũ in se scelus admiserit, quũ fratrem Regem deseruit, vt se coniungeret hæreticis, atq; adeo ducem se iis præberet, hostilemq; aduersus fratrẽ Regẽ exercitũ compararet. Quumdeniq; eundẽ frattrem coegit, non modo regni portionẽ immodicã sibi impartiri, verumetiam cultum execrabilis impietatis per vniuersam Galliam permittere. Et quoniã hoc caput est primum ac summũ legis de criminibus læsæ Maiestatis diuinæ & humanæ, non

Hoc nõ potuit præstari nisi anno 1585 proxime elapso, quo Dux Guysius Regis legatus factus est.

In Alanzonium non animaduersum est ex huius consilij præscripto, partim propter Regis Nauarreni absentiã quem in comitiis opprimere simul statuerant coniurati, partim quod ingenium, & operam Alanzonij sibi in posterum vtilissimam fore perspexerũt, in multis aliis, vt ejus tus docuit.

esse in Regis potestate tãti sceleris veniam dare. Postulabitur à Comitijs, vt Alanzonio Duci iudices cõstituantur, qui de tanto crimine cognoscant atq; decernãt iuxta sanctissimũ & pijssimum exèmplũ Regis Catholici, qui vnico filio suo nõ pepercit.

Postremò ipso die, quo Comitia dimittentur, ex omnibus regni partibus paratæ parochiarũ copiæ, cęteræq; militares manus tã ordinariæ quã extraordinariæ educentur, vt decretũ Comitiorũ exequantur; & Alanzoniũ Ducẽ, cæterosq; qui eum in nefarijs incœptis comitati sunt, cõprehendant. Ipso quoq; die Capitanei parochiarum cum reliquis copiis progredientur, & singuli in suis vicinijs impetũ faciẽt in hæreticos, eorumq; fautores, amicos & cõiuratos, tam in pagis quã in oppidis: internecione omnes occident, eorumq; bona occupabũt, vt pecunia ex horum venditione conflata, in sumptus huius belli erogetur.

Ista eo tempore tentata sunt frustra per binos exercitus missos in Regẽ Nauarrenũ & Ecclesias

Hoc artificio Dux Guysius firmissimũ exercitũ nactus in rebelles prouincias impetũ faciet, quas paruo negotio aut vi aut artibus in potestatẽ suam rediget. Et longè late q; ferro & incendio perdomitis vastatisq; agris, munita oppida fame, depopulatione,

tione, multisq; castellis circumquaq; extructis & dispositis expugnabit; ne tempus in ijs per vim & tormenta oppugnādis frustra consumat: quemadmodum in oppugnatione Rupellensi factum est.

Gallicas ductoribus Alanzonio & Maynio Guysij fratre, qui duo idem hodie tentant.

Hanc igitur insignem & præclaram victoriā adeptus Dux Guysius, aditumq; in nobilissimas quasq; regni ciuitates cōsecutus, & nobilitate sibi conciliata, de Alanzonio Regis fratre cæterisq; eius facinorū socijs supplicium sumet. Atq; ad extremum venia & consilio suæ sanctitatis Regem & Reginam in monasteriū detrudet, exemplum Regis Pepini è maioribus suis secutus, qui Childericum Regem ijsdē artibus circumuentū in monasterium compegit. Atq; hac ratione seculari hæreditate Coronæ Franciæ coniuncta cum Apostolica benedictione (quam adhuc iure successionis à Carolo Magno solam possidet) pristinā sacrosanctæ sedi dignitatē, potentiā, authoritatē sine exceptione & restrictione restituet: & quæ vulgo Gallicanæ Ecclesię priuilegia nominantur, abrogabit. Data prius fide & iureiurando se vbi eorum potitus fuerit, hæc omnia sanctè & inuiolatè præstiturum.

Rex Henricus 3 sæpenumero hoc Guysijs exprobrauit.

EXPOSITIO CAVSARVM,

quibus inducti fuere reuerendiſſimus Cardinalis Borbonius, & Pares, Principes, Antiſtites, Proceres, oppida, & ciuitates Catholicæ regni Galliæ, vt ſe opponerent iis, qui conantur quantum poſſunt, deſtruere religionem & rempublicam.

IN nomine omnipotentis Dei, regis regum ſit notum omnibus & ſingulis; A quo tempore Gallia, cõtinuis viginti quatuor annorum ſeditionibus, pro abolenda patrum noſtrorum religione, firmiſſimo (inquam) reipub. vinculo, agitata fuit: ea remedia adhibita fuiſſe; quæ præter ſpem Maieſtatis regiæ, ad fouendũ magis, quam ad extinguendũ malum apta nihil præter pacis nomen retinuerunt, & tranquillitatem ſolis eius perturbatoribus, cum magno piorum offendiculo, atq; damno attulerunt. At cũ in ſpe verſaremur, temporis ſucceſſum, aduerſus hoc malum remedium aliquod allaturum; Deus non paſſus eſt nouiſſimos reges noſtros, vltra iuuenilis ætatis annos in humanis agere; nec ſobolem relinquere capacem huius regni: nec Regi, qui iam rerum potitur, largitus eſt (quod dolẽt omnes boni) vt prolem adhuc

huc susciperet: etsi vt susciperet, pii omnes illius ciues diuinã Maiestatem assiduis precib. fatigarent. Ita quum ex tam numerosa prole Henrici quondã regis, solus hic rex superstit; metuimus (quod Deus auertat) ne ista familia extinguatur, sine spe liberorũ, cũ magno nostro malo, neve motus maximi in toto orbe Christiano concitentur; p successore in solio regio stabiliendo: ac interitus religionis Catholicæ, Apostolicæ Romanæ accidat in hoc regno Christianissimo: in quo nõ toleraretur rex hæreticus, cum subditi non teneantur agnoscere aut ferre imperium principis aberrantis à fide Christiana & Catholica: quia primũ iusiurandũ, quod reges nostri, cũ inaugurantur, præstãt, est de tuenda religione Catholica, Apostolica Romana. Quo prius à Rege præstito, tum ciues fidẽ ipsi obstringunt suã. Veruntamẽ à morte ducis Alansonij, regii fratris; eorũ molitiones, qui ex professo Catholicã ecclesiã semper persecuti sunt, ita suffultæ promotæq; sunt, vt ia perneccessarium sit huic malo prudenter & mature cauere; quo tẽpestates manifestissimas auertamus, quarũ calamitas omnibus quidem nota est, remedia vero paucis;

& modus eadē applicandi, fere nemini. Et porrò ex tanto istorū apparatu; vt delectu militū, tam in regno quā extra: detentione vrbium ac locorum munitorum; quæ regi restituere debebant: quis q; poterit iudicare nos proximos esse calamitatibus, quas peruersæ istæ molitiones nobis minantur. Constat enim hos nuper cum principibus Germaniæ protestantibus de mittēdo milite egisse, quo facilius bonos opprimeret: cūm aliud in animo nō habeant quā penes se habere quæcunq; desiderantur ad subuertendā religionē Catholicā. Etsi omniū interest hāc saluā esse, & præcipue magnatū; qui id honoris habent vt præcipuis munerib. & dignitatib. in hoc regno fruantur; quos conantur viuo rege, aut regia authoritate opprimere: vt sublatis omnib⁹ qui se eorum studiis obijcere possent, minori cū negotio mutationē (quā statuerunt) in religionē Catholica faciant: vt facultates suas Ecclesię opibus augeant, iuxta exemplum eorum quæ in Anglia acta sunt. Vt etiam omnes cognoscant & oculis cernant cōsilia & actiones nonnullorū, qui postquā se insinuarunt in gratiā & amorē regis supremi nostri principis (cuius Maiestas nobis

ſemper fuit, atq; erit ſacroſancta) occuparunt quaſi eius auctoritatem, qua vterētur ad tuendam potentiam, quam vſurparūt: fauent, & quantum poſſunt procurant dictas mutationes & conatus ad effectum deducere. Auſique ſunt, & penes eos fuit, arcere à familiari conſortio regis, non ſolum principes & nobilitatem; ſed etiam omnes illi coniunctiſſimos, permittendo acceſſum nemini, præter ſuis. Cui rei ita profuerunt, vt præterquam his nemini mortalium partes reipublicæ adminiſtrandæ vllæ conceſſæ ſint: neque quiſquam functionem ſibi commendatam integram exerceat: cum alij titulis dignitatum priuati ſint: alij facultate adminiſtrandi functionem ſpoliati, ita vt præter nomen inane & imaginarium nihil ſit illis reliqui. Idem etiam accidit pleriſq; gubernatoribus prouinciarum, præfectis oppidorum; & aliis adminiſtris, qui propter quandam remunerationem pecuniariam inuite acceptam coacti ſunt cedere, & reſignare munia ſua, cum non auderent his negare; penes quos cogendi poteſtas erat: Exemplum ſane nouum & in hoc regno prorſus inauditum, vt pecu-

nia propoſita extorqueantur functiones ijs, quibus pro præmio & remuneratione virtutis & fidelitatis datæ fuere. his autem artibus & modis quicquid armorum terra marique eſt, in ſuam poteſtatem redegerunt. Quotidie porro tentant idem præſtare in alios, qui munera adhuc obtinent: adeo vt nemini iam amplius cautum ſit, & quiſque metuat ne præfectura, cui præeſt, & quam ſuo merito obtinuit, ex manibus ſuis extorqueatur, etſi regni legibus nequit ea priuari, niſi ex iuſta & legitima cauſſa: aut ſi quid alienum à ſuo munere commiſerit, atque huius criminis conuictus in iudicio fuerit. Hoc modo ad ſe pertraxerunt quicquid auri & argenti erat in regiis gazophylacijs: in quæ curant inferri nummos publicorum vectigalium omnium paratiſſimos ſuæ vtilitati ſtudentes, cũ penes ſe rationes, quæ ſunt maximi momenti; & ratiocinatores ſibi deuotos habeant. Qua ratione & via facile poſſunt de huius regni corona diſponere, & hanc illius capiti imponere, quem probauerint. Accidit horum auaritia, quũ abuterentur populi facilitate & beneuolentia, vt onera paulatim adaucta, adeo exun-

exundarint; vt non ſolum æquarent ea, quæ tempora illa calamitoſa bellorum attulerunt; quorum in pace nihil eſt remiſſum, ſed etiam infinitæ aliæ oppreſſiones indies ex horum cupiditate inſatiabili naſcuntur. Eluxit radius quidam bonæ ſpei, quando ob frequentes querimonias & voces populi totius regni, publica comitia indicta fuere Bleſiis, antiquum remedium pro vulneribus domeſticis ſanandis, principis & populi mutuũ colloquium; vt pariter rationes reddant legitimæ obedientiæ ex vna parte; & legitimæ tutelæ ex altera. ambo iurati: ambo nati ſub nomine regali, & legibus quibus nituntur fundamenta reipub. Gallicanæ. Sed ex tam deſiderabili & laborioſo ſuſcepto, nihil inde ſecutum eſt, præter approbationem peruerſi cõſilii ab iis excogitati, qui ſimulando magnum quoddam ſtudium & curam reipub. erant reuera peſſime animati erga Dei cultum, & reip. commodum. quibus non ſatis erat Regem ſuapte natura ſtudioſum pietatis impellere vt mutaret ſanctũ & vtile inſtitutum (qui ſupplicatione humillima

trium Ordinum reip. commotus, decreuit ciues ſuos inducere ad vnam ſolã religionem Catholicam, apoſtolicam, Romanam profitendum: vt pietatem illam antiquam vita & moribus imitarentur, cum qua regnum hoc firmatum fuit, cõſeruatum, & auctũ vſque adeo vt in potentiſſimum totius orbis Chriſtiani euaſerit) quod tũc temporis factu facile erat ſine periculo, aut quaſi obſtaculo quocũque. Sed è contrario perſuaſerũt huic fore neceſſarium (vt in officio contineret) frangere ac minuere auctoritatẽ principum ac procerum Catholicorũ, qui zelo magno adducti, ſe in magna vitæ diſcrimina coniecerunt ſub illius ſignis militantes pro tuenda religione Catholica. quaſi vero gloria illa & exiſtimatio (quã illi virtute & fidelitate quęſiuere) pro honoribus cumulandis, ſuſpectos reddidiſſet. Præterea abuſus ex paruis incremẽtis, pedetentim ita creuit vt ex alto ad inſtar torrentis tanto cum impetu præcipitatus, vt miſerum hoc regnum, & deſperatæ ſalutis, parum abſit quin fluctibus ſuis obruat. Nam ordo eccleſiaſticus, etſi cele-

celebres conuentus egerit,& iuſtas cauſſæ ſuæ defenſiões propoſuerit, decimarũ exactionibus & extraordinariis ſubuentionibus opprimitur vltra contemptum ſacrorũ ſanctæ eccleſiæ ; de qua poſthac omnia erunt ſublata, & omnia polluta. Nobilitas nihili fit ; ſeruilirer & ruſtice tractatur: quotidie miſere peſſumdatur portoriis & indebitis exactionibus quas nolens volens cogitur luere, ſi vitam victu & veſtitu vellet tueri: ciuitates,miniſtri regii & infima plebs ita reducti in anguſtias, ex nouorum vectigalium & tributorum exactionibus (quas vulgo inuentiones vocant) vt nihil ſuperſit,quod poſſit inueniri, præter modum & vnicã rationem adhibendi remedii. Ob has iuſtas cauſſas, Nos Carolus Borbonius primus princeps regii ſanguinis, Cardinalis eccleſiæ Catholicæ,apoſtolicæ,Romanæ,cui ex officio præcipue incumbit tutelam & protectionem ſuſcipere religionis Catholicæ in hoc regno,& bonorum ac fidorum ſubditorum Maieſtatis regiæ & reipub. aſſiſtentibus nobis pleriſque principum ſanguinis, Cardinalium

& aliorum Principum, Parium, antiſtitũ, miniſtrorum coronæ, prouinciarum gubernatorum, procerum, nobiliũ, ac permultis inſignibus oppidis & communitatibus & multitudine magna bonorum ac fidelium ſubditorum; qui meliorẽ ac ſaniorem partem huius regni cõficiunt, cauſſa huius ſuſcepti conſiderate penſitata, communicatiſque conſiliis, tam cum amicis noſtris publicæ vtilitatis, & quietis huius regni ſtudioſiſſimis: quam cum hominibus doctis & timentibus Deum, quibus nefas eſt in hac re a nobis fraudẽ fieri, Declaramus nos omnes iuraſſe, & religioſe promiſiſſe, operã ſtrenuã & armatam nauare, pro reſtituenda ſancta eccleſia Dei ad priſtinam dignitatem veræ & ſolius Catholicæ religionis: vtq; nobilitas fruatur, vti decet, ſuis immunitatib. integris: vt plebs alleuaretur, & noua tributa aboleantur, omniaque augmenta a temporibus Caroli noni (cui condonet Deus) inuecta deleantur: vt Parlamentorum iudiciis integræ iuriſdictiones reſtituantur, adeo vt horum vniuſcuiuſque ſuprema poteſtas ſit iudicandi in ſuis diſtrictis

ſtrictis ſeu territoriis: & vt omnes ſubditi huic regno in ſuis gubernationib. functionibus & muniis protegantur; ita vt non fas ſit iſta his auferri, niſi tribus de cauſſis conſtitutionibus antiquis complexis; & per Iudicia iudicum ordinariorum, qui in Parlamentis cooptati ſunt. Vt quicquid nummorū ex tribulis colligitur, & omne (quemadmodum inſtitutum eſt) in tuitionē regni expendatur: Vt Comitia ordinū generalia libera & omnis fraudis expertia ſingulis trienniis ad minimū cogantur: Vt in his liberum ſit & integrū vnicuique cauſam ſuam & querelā (cui non erat alias ſatisfactum) exponere.

Hæ res & aliæ, quæ erunt alio loco ſigillatim & copioſius expoſitæ, materiam & argumentum nobis præbuerunt habendi delectus armatorum militum. Cui ad Galliam in integrum reſtituendam, ad conſeruandos bonos, & coercendos malos deſtinati ſunt. Inſuper vt corpora noſtra ſtiparent, & nobis præſidio ſint aduerſus vim (qua ſæpe petebamur) & ſecretas quaſdam conſpirationes, quæ nō ita diu excogitatæ fuerunt ad nos oppri-

mendos,& funditus tollendos. Quaſi verò huius Reip. ſalus quæreretur ex ruina bonorum virorum; & eorum qui ſæpe vitam ſuã in diſcrimen vocarunt, vt hanc conſeruarent. Nihil reſtat amplius quod nos tutos ab hoc malo poſſit præſtare,& gladium, qui iugulis noſtris imminet, auertere, quam ad ea remedia confugere à quibus ſemper abhorruimus. Quæ tamen ferenda ſunt & iuſta habenda, cùm ſint iuſta de cauſa comparata, & neceſſaria habita & approbata. Quibus (propter diſcrimen,in quod fortunæ noſtræ vocãtur)hoc tempore vti nollemus, niſi ruina religionis Catholicæ indiſſolubili vinculo coniuncta eſſe ſtatui Reip.huius regni; pro quorum ſalute nulla pericula ſubire recuſauimus, perſuaſi nõ poſſe nobis parari monumentũ honorificentius, quam vitã in cauſſa tam ſancta & iuſta profundere. Et vt officiis (quibus erga Deum & eius cultum tenemur) ſatisfaceremus, & vt decet bonos & fideles ſubditos,ſiſteremus & moraremur diſſipationem ſtatus Reip. quæ Religionis conuerſionem ſolet comitari.

Atteſtan-

Atteſtantes nos non arma ſumpſiſſe, vt moueremus in Regem dominum noſtrum ſupremum; ſed vt latus eius & vitã & ſtatum tueremur. Pro quo ſancte iuramus & promittimus nos velle fortunas noſtras omnes & vitam exponere; eadẽ animi propenſione & fide, qua retro actis temporibus fecimus: Et velle arma exuere ſtatim atque ſua Maieſtas curauerit periculum illud (quod minatur excidiũ diuini cultus & omnium piorum) auferri. Quod vt quamprimùm faciat, Maieſtatem ſuam humillimè rogamus, in quo teſtabitur ſe fore debere Regem Chriſtianiſſimum; præditum Dei timore, & zelo quodam inſculpto animo (vt nobis ſemper compertum fuit) & amore quodam paterno ac ſingulari erga ſubditos ſuos & eorum ſalutem. Hoc ſi ſua Maieſtas præſtiterit, obſequium eò alacrius nos & cæteri ſubditi huic præſtabimus cum obſeruantia & beneuolentia quadam ſingulari. Et hoc illud eſt quod nos præ cæteris rebus omnibus in votis habemus.

Etſi rationi conſentaneum nõ eſt Regem rogare, vt caueat ne illo viuo aut

mortuo populus eius curæ commissus in factiones & studia diuidatur propter cõtrouersiam sibi succedendi: huius rei cõsideratio ita parum nos mouet, vt calumniæ eorum, qui nobis ista exprobrant, nullo nixa fundamento deprehẽdentur: nam leges regni, quæ patent & notæ sunt omnibus: & magnitudo periculi, cui nos Cardinalis Borbonius in hac senili & suprema ætate nostra nos exponimus, satis indicant nos non esse inflatos eiusmodi vana spe, & inani confidẽtia: sed solo Religionis zelo permotos; qui nos participes faciet regni magis firmi, stabilis, & lõgioris æui: cuius fruitio optabilior nobis est, & desiderabilior.

Cùm eiusmodi sit nostrum institutũ, rogamus vnanimè, humillimè Reginam matrem Regis, Dominam nostram honorificentissimã (cuius sapientia & prudentia nisi obstitissent, iamdiu regnũ hoc in partes concerptum fuisset & perditũ) vt pro fideli testimonio cuiusmodi illa potest, vult & debet ferre de nostris insignibus officiis & seruitiis, & nominatim de nobis Cardinali Borbonio (qui illam semper

ſemper in honore habuimus, illi inſeruiimus, & in negotiis maximi momenti affuimus, non parcendo fortunis, vitæ, amicis aut neceſſariis & ꝓpinquis, vt partes Regis & Religionis cum illa promoueremus) ne nos hac vice deſerat, ſed in gratiam noſtri impendat illam gratiam, quam (ſuo merito) comparauit, collectã ex maximis laboribus atq; moleſtiis: quã fortaſſe eius hoſtes, apud Regem filium, perfide illi præripuerunt.

Rogamus etiam Principes omnes, Pares Franciæ, miniſtros Coronæ, Eccleſiaſticos, proceres, nobiles, & reliquos cuiuſcunque conditionis homines, qui partes noſtras nondum adhuc ſunt ſecuti, vt nobis adſint & iuuẽt ſuis copiis & facultatibus ad tam bonum & ſanctum opus promouẽdum: Hortamur etiam omnia oppida & Communitates (quibus eorũ ſalus & cõſeruatio curæ eſt) vt in ſumma iudicẽt noſtrum inſtitutum: vt agnoſcãt leuamẽ & quietem quam experturi ſunt in negotiis tam publicis quam priuatis: & pariter opem ferãt nobis intentis huic operi, quod non poteſt non proſperè ſuc-

cedere Deo duce, cui nos nostraq; omnia committimus. Aut saltem si horum sententię & iudicium non possint ita mox ad vnum reuocari; quando eorum consilia sint ex plurib. capitibus conflata; eos admonemus vt interim curam rerum suarum habeant, nec patiantur à quoquã se inuadi, neve occupari ab iis, qui sinistris quibusdam interpretationibus nostratũ voluntatũ eorum oppida sibi asserere conabuntur, & milite præsidiario impositio vobis eandem seruiẽdi necessitatem imponere, quam cæteris oppidis, quę occupauerunt, imposuere.

Declaramus nobis non esse in animo quẽquam pro hoste habere, aut in quẽquam arma ferre & mouere, præterquã in eos qui contrà arma ferunt, aut qui alia quauis ratione aduersariis nostris fauent, qui quærũt Ecclesiæ ruinam & status Reip. diuisionem: Et vnicuique pro certo affirmamus, exercitus nostros sanctos & iustos nemini facturos iniuriam aut illaturos vim seu in itineribus faciendis, seu in castramentationibus, quocunque loco id fuerit, sed ex præscripto ordinis

nis & disciplinæ victuros ; numerando pretium earum rerum quas accipient.

Amplectemur,& ad nostrum comitatum admittemus omnes bonos qui zelo tanguntur diuini honoris& sanctę Ecclesię,& cõmodi ac existimationis Christianissimæ gentis Francicæ, protestãdo nihilominus nos nolle prius arma ponere nisi perfectis iis omnibus rebus quemadmodũ instituimus : Et malle citiùs quàm hoc relinquere omnes vnanimes mori& cumulatim vno sepulchro inferri, quod consecratum erit nouissimis Francis qui armati pro cultu diuino & pro patria ceciderunt.

Tandem (cùm fas sit omnem opẽ & auxilium à Deo contendere & impetrare) rogamus omnes veros Catholicos vt nobiscum sese componant morum integritate & vitæ reformatione ad diuinum numẽ nobis conciliandum, ad Dei iram mitigandam,& eum inuocandum cum conscientia pura tam publicis precibus in sanctis pompis conceptis quàm priuatis, vt omnes nostræ actiones dirigantur & tẽdant ad honorem & gloriam illius, qui

est DEVS exercituum, à quo speramus vires & subsidium omne nos accepturos.

Datum Peronæ vltimo Martii, Anno MDLXXXV.

Subscriptum

Carolus Cardinalis Borbonius.

DECLARATIO VOluntatis regiæ de nouis motibus excitatis in hoc regno.

ETSI Rex iam sæpius subditos suos per literas & mandata admonuit, ne patiãtur se abduci cõsiliis & persuasionibus eorum, qui obliquis quibusdã artibus conantur hos sibi in societatem facinoris adiungere, & à quiete qua fruuntur, seducere: & obtulit ac promisit se velle nominatim hos qui iã seducti sunt in gratiam recipere, si cognita eius volũtate à societate illa discederent. Nihilominus cùm suæ Maiestati compertũ esset (quod ægerrimè tulit) nõnullos subditorum suorum, neglectis eius mandatis & blandis admonitionibus, nõ vereri se adiungere

iungere eiuſmodi ſocietati, adductos reſpectu quodam quarundã rerum, maximamq; partẽ abreptos & obcæcatos ſpecioſis quibuſdã colorib. & fuco, quib. authores conſpirationẽ ſuã obducunt & inficiunt: ſua Maieſt. conſultum fore putauit ob communẽ vtilitatẽ ſubditorũ ſuorum & ob conſcientiã ſuã erga Deum & exiſtimationem apud homines, obliquis hiſce artib. opponere lucem veritatis: vnicam conſolationẽ bonorũ, & hoſtẽ aduerſariorũ infenſiſſimũ; vt eius luce concomitati & conducti illius ſubditi poſſint ſine errore diſcernere & tẽpeſtivè agnoſcere principiũ & ſucceſſum iſtiuſmodi motuũ; eoq; modo declinare miſerias & calamitates quę publicè & priuatim inde naſcentur.

Cauſę quas prætexunt authores horũ motuũ conceptæ ſunt præcipuè pro reſtaurãda religione Catholica, apoſtolica Roma. in hoc regno; & pro conferendis muniis & dignitatibus eiuſdem regni his quibus iure debentur & pro commodo, honoribus & alleuatione ordinis Eccleſiaſtici, Nobilium & Plebis.

Quas res oēs norint ex effectis haud fallacibus ita fuiſſe cordi & charas ſuæ Maieſt. vt nemo merito poſſit ambigere, quid de his ſenſerit. Adeò vt non opus erat ſolicitare ſuos ſubditos ad defectionē & armatos conuocare,& militem peregrinum conſcribere,vt ſuā Maieſt. inducerent ad amplectēdum excogitata quędam remedia quæ conantur his reb. adferre; ramerſi forent iuſta & factu facilia & vtilia ſuis ſubditis.

Quod ad religionem attinet, ſua Mai. priuſquam inauguraretur,nimis ſæpe vitam periculis expoſuit,& feliciter pugnauit pro eiuſdem propagatione. A quo tēpore permittente Deo ad capeſſendam huius regni Remp. ſit vocatus, nimis ſæpe in eundem finem ſtatum ſuum & dignitatem in diſcrimen vocauit, & facultates quas habuit cariſſimas & pretioſiſſimas, impēdit cum re & opibus clientū ſuorū & ſubditorum, ita vt nunc his perſuaſum ſit fore in hoc regno aut alibi neminem, cui religio & pietas magis cordi ſit, quemadmodum ſemper fuit, & erit Deo volente in ſempiternum.

Etſi

Etsi ad exemplum quondã Regis sui fratris & aliorum plurimorum Principũ Christianorum (quorũ imperia & Resp. afflictæ fuerunt distractione animorum & opinionum in Religione) sua Maiestas secuta prudens consilũ Reginæ suæ matris, Cardinalis Borbonii & aliorũ Principum, ministrorum Coronæ & Procerum, qui illi à consiliis erant, & illam eo tempore comitabantur, sedauit tumultus & motus excitatos inter subditos suos causſa Religionis. Ferendo æquo animo donec Deus omnes in gremium Ecclesiæ colligeret. Non sequitur ex hoc facto studium suum & amorem erga Dei gloriam, & Ecclesiæ Catho. Apost. Rom. restitutionem in integrum esſe imminutũ, & hoc tempore minorem quàm sese ostendebat & fluctibus illis bellorum.

Tantùm abest quòd ita se res habeat. Cùm sua Maiest. optet omnibus esſe persuasum se pacem illam cõposuisſe omnino vt tentaret si illo medio subditos suos Ecclesiæ conciliare potuerit, quos malitia & licentia temporum ab Ecclesia seiunxit. Cùm longo tempore expertus es-

ſet cum diſcrimine vitæ & ſtatus & effuſione ſanguinis plurimorum Principum, Procerum, Nobilium & aliorum ſubditorum ſuorum (qui in motibus illis & illorũ cauſſa ceciderunt, cùm eſſent propter religionẽ excitati; & radices in hoc regno egiſſent, cùm quondam Rex frater ſuæ Maieſt. & ipſa eſſent minores annis cum magno dictæ Reginæ matris ſuæ dolore) non poſſe aliter vi aut armis ſedari quàm cum ſubditorum ſuorum excidio & regni ſui præſentiſſimo periculo.

Hanc rem tunc ſtatuit perficere cùm ſciret omnes ordines fractos eſſe & defatigatos ex diuturnitate illius belli. Et facultates ſuas non ſufficere ſumptibus, qui tanto bello perficiendo deſiderabantur.

Quod minimè accidiſſet, ſi in comitiis Bleſiis habitis (cùm Legati prouinciarũ adducti magnitudine zeli ſuæ Maieſtatis erga religionem Catholicam eam rogarent, vt profeſſionem religionis, quæ reformata dicitur, in hoc regno prohiberet: vnde ſecuta eſt deliberatio quam iuramento approbarunt, & ſua Maieſt. conata eſt poſtea exequi) cautum fuiſſet de

penu

penu quadam pecuniaria comparanda in vsum huius belli; vnde suppeditaretur quãtum opus esset ad illud persequend̃ vsque ad exitum. Hanc rem maximè necessariã vt perficerent, vrgebat valde sua Maiestas.

Neque causam possint prætexere doloris, hi qui in publicũ nihilominus proponunt & dictitant se mox priuatos radio illo bonæ spei, qui refulsit ex deliberatione illa Comitiorum. Etsi non decet neque fas est subdito iudicium ferre de actionibus sui Regis, cùm sæpe ignoret causas secretas, ex quibus nascuntur iussiones & mandata suæ Maiest. Quæ causæ interdum maioris momẽti sunt & efficaciæ, quàm illæ quæ apparent & notæ sunt multis.

Quum soli Deo scrutatori cordium & actionum Principum id incumbat, qui causas norit, quæ Maiest. suam tũc temporis impulerunt, vt ante omnia pacem illam componeret, quæ pro cõperto habebat, si longius detulisset: regnum hoc refertum iri armis peregrinis, factionibus

& nouis distractionibus animorum cum magna Reip. pernicie.

Vt igitur obuiam iret illis incõmodis & eorum præueniret effectus adhibẽdo remedia quæ putabãtur fore meliora, huic paci Maiest. sua assensa est: non vt hæresin, vt dictant, in hoc regno stabiliret: nã nunquam in mẽtem venit eiusmodi cogitatio Principi Christianissimo & optimo, cuiusmodi est sua Maiestas.

Quæ cùm præuidisset, sensisset & experta esset illas difficultates, putauit fore consultum eò citius animum adiicere ad pacem illam firmãdam: in eum finem vt subditos suos compotes faceret illius alleuamenti, quod petitionibus suis propositis & discussis in illis comitiis pro vtilitate publica à sua Maiest. cõtendebant. Cùm pax & concordia certum & necessarium præbent fundamentum sanctioni bonarum legum, & reformationi morum.

Cui rei sua Maiest. ab eo tempore cõtinuò operam dedit; vt videre est ex Edictis & constitutionibus ea de re conceptis & ex opera quam impendit, vt Edicta eadem obseruarentur: Et cùm id quod propo-

propoſuit ex animi ſui ſententia non ſuccederet, hoc ille indigniſſimè tulit. Quod accidit fortaſſe non minus incuria quorundam miniſtrorũ ſuorum, & obliquis artibus eorũ qui illi peſſimè volũt: quàm ex ſucceſſu & incremẽto impietatis, corruptelæ & contumaciæ, quæ bella ciuilia in hoc regno pepererunt.

Pace & otio pleræque ciuitates ciuib. & habitatoribus Catholicis frequentes à milite, à quo detinebantur, liberatæ fuere: Vſus religionis Catholicæ, apoſt. Roman. in iiſdem reſtitutus; adeò vt vigilãtia & ſtudio ſuæ Maieſt. hoc ipſum præſtaretur in omnib. ferè ciuitatibus, in quibus profeſſores Religionis (quæ reformata dicitur) primas partes tenẽt; & ex quibus ille vſus ante & poſt quàm rerum potiretur & vſque in illud tempus proſcriptus fuit.

Iuſtitiæ etiam facies & forma ibi etiã apparuit, etſi non ea plenitudine & integritate quæ deſideraretur: tamen ita vt vim haberet recreãdi bonos, & perterrefaciendi malos. Antiſtites & Eccleſiaſtici cæteri in ſuas Eccleſias repedarũt. Bo-

nis quibus spoliabantur, fruuntur. Nobiles & Patricii possunt tutè domi suæ cõmorari minimè obnoxii iis sumptibus, quos in bello soliti sunt facere, vt sibi cauerent ab insidiis. Ciuis exutus possessione sua palans & oberrans in agris cum familia, beneficio pacis domum est reuersus. Mercator huius beneficio parat se ad negotiandum antea interpellatus & impeditus motibus illis bellicis. Agricola oppressus magnitudine ponderis, quam licentia immoderata effræni militis huic imposuit, incipit respirare, & intermissum laborem repetere, quo miserrimam vitam suam tueretur. Breuiter nullus ordo est qui non senserit beneficium illius pacis.

Et sicuti studium diuini cultus & vtilitatis publicæ in sua Maiestat. tantùm semper fuit, quantum in Principe Christianissimo & verè bono possit desiderari: ita animaduertens detrimenta & calamitates Reipub. manare, præcipuè ex defectu & inopia veræ pietatis & iustitiæ: A quo tempore restituta pax fuit, toto animo incubuit duas istas columnas erigere,

gere, quas sæuitia & immanitas illorum motuum deiecit & ferè prostrauit.

Ob eam causam initium fecit a nominatione (ad capessendas dignitates Ecclesiasticas, quibus coniuncta esset cura animarum) eorum qui iuxta præscriptũ sanctorum canonum essent capaces & idonei.

Etiam sui ipsius exemplo inuitauit ciues suos ad vitæ & morum reformationem, vtque ad Dei gratiam & misericordiam cõfugerent, precibus & vitæ innocentia seu austeritate. Cuius factum mouit Catholicos, vt confirmatiores perstarent in officio erga diuinam Maiest. Et nonnullos qui ab Ecclesia Dei defecerunt, impulit vt se iterum huic reconciliarent.

Audiuit etiam beneuolè supplicationes & querelas ordinis Ecclesiastici, postquàm huic permisisset in eum finem cõuentus agere, hisque amicè satisfecit & plenè adeò vt postpositis necessariis negotiis suis hunc ordinem ab eo tempore decimis extraordinariis exonerauerit magis quàm onerauerit: quamuis alii ali-

ter dictitant in vulgus. Dolet plurimum se non posse hunc ordinem perinde liberare à solutione ordinariarum. Propterea quòd has (cùm huic regno præficeretur) inuenerit obstrictas solutioni pensionũ, quæ debentur domo ciuicæ vrbis Parisiorum.

Fas est etiam ex concessione suæ Maiestat. Ecclesiasticis concilia prouincialia edicere: In quibus iam consultarunt & cauerunt de modo reformandi abusus, qui repserunt in Ecclesiam temporibus turbarum: Et pleraſque bonas & sanctas constitutiones in commodum eiusdem promulgarunt, quas sua Maiestas approbauit.

Hi sunt fructus & emolumenta publica & communia omnium, quæ Ecclesia Dei & religio Cathol. Apost. Rom. perceperunt ex illa pace: vt taceam innumera alia commoda priuata & propria singulorum, quæ longum foret enumerare.

Quod ad iustitiam attinet, noti sunt labores, quos cum magna animi contentione sua Maiest. suscepit, vt hanc educeret ex tenebris illis, in quas demersa fuit tem-

poribus

poribus bellorum ciuilium; vt eius lucẽ iuxta antiquum ſplendorem firmam & ſtabilem præſtaret.

Supprimendo morte poſſeſſorũ functiones illas publicas vltra iuſtum numerum adauctas, prohibendo etiam emptiones & venditiones magiſtratuũ & functionum (quas neceſſitas & pecuniæ inopia maiores ſuos impulit vt hos contractus admitterent) non habita ratione ſuæ neceſſitatis & inopiæ, quæ non minor eſt illa maiorum ſuorum.

Inſuper ſua Maieſtas occluſit ianuam remiſſionibus & euocationibus, quas pro arbitrio ſolebat conferre. Animaduertit enim, quantùm ſpes impetrãdi iſtiuſmodi beneficia, multos fouet in perpetrandis maleficiis: Et cùm nonnulli non ita inexorabiles ad tranſigendum cum aliis ſe præberent, iudicia iſta ratione confundebantur & perturbabantur.

Præterea ſua Maieſtas beneficio pacis curauit vt mitterentur in pleraſque prouincias huius regni Cameræ ſeu Iudices conſcripti ex miniſtris Parlamenti Pariſienſis: qui ius dicerent ſubditis ſuis in iis

locis in quibus habitarent. Vnde is fructus colligendus est quem quisque probauit. Qui etiam pro votis omnium bonorum maior fuisset, si institutum suum alacrius illi promouissent, qui ex naturæ legibus& magistratuum officiis,quib. præerant & facere tenebantur.

Sed tempora ista quorũdam audaciã ita inflant, vt audeant aliorum facinora suæ Maiest. tribuere: adeò omnia plena sunt corruptelæ& impudentiæ, vt magna plerisque voluptas sit, quasque sanctissimas optimasq; actiones suas calumniare eo animo vt has odiosas redderent suis ciuibus: & vulgi gratiam aliquã hoc modo colligerent cum dispendio existimationis suæ Maiest. adeò vt aliquando auderent rigorem quemdam nimium& seueritatem interpretari: curam illam laudabilem & studium suæ Maiestat. in promouẽdis pœnis & executionibus decretorum & sententiarum, quæ latæ fuerũt per iudices illarum Camerarum aduersus maleficos.

Quamobrem cùm sua Maiestas inciperet his mediis excitare duas illas columnas

mnas, veras & vnicas baſes & propugnacula omnis Monarchiæ: decreuit omnino has erigere & in integrum reſtituere beneficio & perpetuitate pacis; ſi Deus largius fuiſſet vt regnum hoc & ſubditi tantum beneficium promererent.

Hoc vt videtur, timebant, ſtatim atq; præuiderãt illi qui iam in animo habent ſubditos ſuos concitare ad arma, ſub ſpecie nihilominus adhibendi remediũ vni atque alteri columnæ.

Dictitant etiam ſe arma ſumpſiſſe, vt obuiam irent motibus illis, quos timent poſſe accidere poſt obitum ſuæ Maieſta. pro ſtabiliẽdo ſucceſſore regio in perniciem dictæ religionis Catholicæ, apoſtol. Romanæ.

Perſuadẽt ſibi aut ſaltem ita in vulgus dictitant ſuam Maieſtat. aut hos, qui illam comitãtur, fauere ſtudiis eorum, qui ſemper religionem illam perſequebantur.

Res quæ ſuæ Maieſt. nunquam in mẽtem venit, & vt id credãt, rogat & admonet ſubditos ſuos: Cùm ſit adhuc (DEI gratia) in flore & vigore ſuæ ætatis, ple-

nus ſanitatis: quemadmodũ Regina ſua vxor in ſpe eſt poſſe adhuc ſobolem Dei beneficio ſuſcipere ad animos omnium bonorum & fidorum ſubditorum ſuorũ explendum gaudio.

Apparet hoc eſſe vim facere naturæ & ætati; & inſuper diffidere de Dei gratia & bonitate, de ſanitate & ſalute ſuæ Maieſt. & de fœcunditate Reginæ ſuæ vxoris, huiuſmodi quæſtionem mouere, hoc potiſſimũ tempore: & eius præterea deciſionẽ armis petere. Nam loco liberãdi hoc regnum a malo, quod verentur aliquando poſſe accidere, & illud tutum præſtandi, reuera accelerant & promouent dolores eiuſdem & effectus mortiferos, qui inde poſſunt conſequi, mouendo ob illam cauſam bellum. Cùm ſit certum hac ratiõe regnum hoc breui repletum iri armis peregrinis, factionibus, diſcordiis ſempiternis, ſanguine, cædibus, trucidationibus, latrociniis & graſſationibus infinitis.

Ecce quemadmodum inſtaurata erit religio Catholica, Eccleſiaſticus exoneratus decimis; Nobilis quietus & tutus domi

domi ſuæ fruens iuribus & immunitatib. ſuis. Ciues & incolæ ciuitatū liberi a præſidiis: Et miſera plebs alleuata tributis & oneribus quæ cogetur ferre.

Sua Maieſt. admonet & hortatur ſubditos ſuos, vt acutè iſta videant: & ne ſibi perſuadeant bellum hoc poſſe ita paruo negotio finiri quemadmodum quidā dictitant: Sed vt graui iudicio perpendāt rem & conſiderent ſucceſſum & euentū, qui citra dubium conſequetur. Et ne patiantur eorum exiſtimationē ſugillari, & arma ſua veluti inſtrumēta inſeruire ruinæ patriæ & amplitudini ac gloriæ eius hoſtiū: qui ſoli triumphabunt de miſeriis & calamitatibus publicis.

Interim obcæcati & neſcii noſtræ vtilitatis inter nos digladiabimur? opem ferre videbuntur alii? Sed reuera nobis eorum ope & auxilio delinitis imperabunt, & regnabunt feliciter & potentiam ſuam ſtabilient.

Cōqueruntur etiā de diſtributione & collocatione honorum & magiſtratuum huius regni: cùm inquiunt, hos ſecluſos eſſe & exemptos, qui de Rege & de Rep.

optime meriti ſunt. Debiliſſimum profectò fundamentum & parùm honorificum, ſuper quo ædificarent ruinam & diſſipationem regni tam beati: Cuius reges nunquam cogebantur vti opera vnius magis quàm alterius. Nã nulla lex eſt, qua tenentur hoc pręſtare præter illã quę eſt de commodo quod percipere poſſint ex officio & obſequio eorum qui illis inſeruiunt.

Nihilominus ſua Maieſtas ſemper in honore habuit & amore complectebatur Principes ſui ſanguinis, perinde atq; cuiuis maiorum ſuorum. Oſtenditq; cæteris, quo animo erga eos affectus eſſet, vt hos promoueret ad gratiam, honores & exiſtimationem vtendo eorum opera. Nam quoties ſua Maieſt. exercitus eduxit & vires coegit, his præ cæteris omnib. commiſit imperium & ductum. Et ſi licet conſiderare qui ſunt hi qui præſunt maximis & honorificentiſſimis dignitatibus huius regni, exiſtimabuntur ij qui feruntur authores talium admurmurationum habere iuſtiorem cauſſam gratulandi de liberalitate & amicitia ſuæ

Maieſt.

Maieſtatis quàm dolendi & ſeſe ſeiungendi.

Sed aiunt ſibi ſolum nomen relictum, ſed reuera priuatos eſſe vtilitatibus & immunitatibus, quæ coniunctæ erant eorum dignitatibus, quæque vſurpantur ab aliis. Sed antequam iudicium proferatur de æquitate cauſſæ huius querelæ, opus erit penitius inſpicere priuilegia & prærogatiuas attributas vnicuique magiſtratui. Et conſiderare quomodo & per quos viros iſti exercebãtur ſub Regibus maioribus ſuis.

Hanc rem ſua Maieſt. ſæpe in animo habuit reformare (cùm ſtatuerat vniuſcuiuſque functiones ad normam quamdam reuocare) & foret iam ante multũ temporis deciſa & diſcuſſa, ſi illi quorum maximè intereſt ſuæ Maieſt. ſtudium & voluntatem in hac parte promouiſſent.

Dicetur ne hoc tempore & etiam apud poſteros: priuata quorundam damna & offenſiones, cauſſam dediſſe nõnullis turbandi integram quamdã Rempub. eamque ſanguine & deſolationibus adimplendi?

Hæc nõ eſt via quam oportet ſequi ad reformandos abuſus, de quibus eſt quæſtio. Quum negotium ſit cum Principe humaniſſimo, qui ſemper paratus eſt obuiam ire malo, & libentiſſimo animo amplecti remedia apta & conuenientia, quæ illi oblata erunt aduerſus malum.

Deponãt igitur arma; renuncient viribus peregrinis; ſitq; regnum hoc liberatum periculo cui obnoxium eſt inter arma illa, quæ expediunt & proferunt. Et pro via illa, quam ſequuntur, plena obſtaculorum, miſeriarum, & calamitatum priuatarum & publicarum; perſequantur viam rationis & officii: qua ſancta Dei Eccleſia, (quæ abhorret à vi) facilius reſtituetur priſtino ſuo ſplendori & efficaciæ. Et nobilitati, vti par eſt, ſit ſatisfactũ. Nam quis Regum omnium anteceſſorũ ſuæ Maieſt. re & factis monſtrauit ſe maiori amore & charitate, amplecti hanc opinionem, quàm ſua Maieſt. cui non ſatis erat hunc ordinem ornare antiquis & præcipuis honorum gradibus huius regni, ſed etiam ex profeſſo nouos gradus inſtituere; quos cõſecraret gloriæ veræ

Nobi-

Nobilitatis: excludendo ab his gradibus reliquos ordines omnes.

Sua Maiest. dabit mox operam plebē reuera exonerare, quemadmodū hactenus optimè incepit, ita in animo habet pro virili pergere.

Et quamuis duces istius belli promittant copias suas & exercitus secundū politiam & disciplinam suam, ita victuros vt nemini non sit satisfactum: Admonēt etiam ciues ciuitatum, ne prędidia admittant: Nihilominus constat milites quos coegerunt, infinita facinora & maleficia iam cōmisisse. & ipsos præsidia imposuisse oppidis & locis quæ occuparunt: Vt p eorū libidine detineantur. Præterea certū est multos errones & homines nihili gregatim prodituros in publicum nomine vnius aut alterius partium, qui infinita sacrilegia & latrocinia committent.

Adeò vt vbi deberent curare, vt amoueatur periculum, quod minatur ruinam diuini cultus & virorum bonorū interitū (vti profitētur hoc bello) implebunt hoc regnum omni genere impietatis & corruptelæ.

Dictitãt insuper strui sibi insidias; hãcque vnam esse caussarum aiunt, quamobrem arma caperẽt: Nullus est qui possit adduci vt credat hãc querelam attingere suam Maiestat. tum propter bonam & humanam tractationẽ, qua illos semper excepit, tum propter naturã suæ Maiestat. & ingenium ab omni genere vindictæ alieniſſimum. Nondum adhuc hanc lucem conspexit, qui iustè valeat queri de sua Maiest. huius solius rei causa ob quamcumque offensam. Vbi plerique inueniuntur huius conditionis viri, qui experti sunt eius clementiam, & qui memoriæ posteritatis inseruient.

Quamobrem sua Maiest. rogat & adhortatur duces huius motus, vt prompte vires suas disiungant, vt peregrinis renũcient & decedant ab omni fœdere, & viis facti; & vt propinqui & clientes sui chari bene sperent de eius amore & beneuolẽtia, qua eos prosequetur, modò id fecerint: honestabitque eos & decorabit fauore suo & gratia, participesque faciet dignitatum, quas solitus est hominibus eorum conditionis impertiri: vt accedant

& con-

& coniungant se huic, ad prospiciendũ & seriò cauendum instaurationi diuini cultus: & reipub. per ea media quæ apta & apposita iudicabuntur. cui rei sua Maiestas libenti animo operam dabit.

Monet etiam Ecclesiasticos & nobiles qui sibi subiecti sunt, vt bene & considerate perpendant effectus horum motuũ: vt sincere suam mentem amplectantur, & credant hunc sibi scopum semper proposuisse, quem proponet in æternum: nimirum, Omnibus prodesse; nocere verò nemini.

Præcisè imperando his, quemadmodum & reliquis subditis suis, vt abstineãt & recedant ab omni fœdere & societate, & se huic coniungant, vti natura, officiũ & proprium eorum commodum ac salus eos prouocat & astringit. Si hic armorum strepitus increbuerit, & vltra penetrauerit (quod Deus, iuxta suæ Maiestat. preces, auertat) rogat vt sibi adsint & opẽ ferant consiliis, armis, & facultatibus pro tuitione & conseruatione regni cui coniuncta est illa ecclesiæ Catholicæ, apostolicæ Romanæ in eodem; & etiam hono-

rum existimationis, vitæ, familiarum, & bonorum suorum.

Offert & promittit, si id fecerint, se eos prosecuturum beneuolentia & amore, remuneraturumq; eorum fidelitatem & obsequia.

Datum Lutetiæ mense Aprili, anno Domini MDLXXXV.

obsignatum

Henry.

Et paulo inferius

De neuffuille.

DE

DE GVISIORVM IN armis capeſſendis ſcopo, ad Gallos PARÆNESIS.

NON impiis armorum prætextus in Principes, nō Principibus in impios vindicādi facultas vnquam defuit. Deus author Regum, qui populis eos præfecit, Regum cauſam ſuſcipit, atque illatæ Regibus iniuriæ vulnus ſibi inflictum putat. Deus, inquam, ille, cui corda animiq́ue patent, fucos & prętextus internoſcit: diſtinguere ea, atque à veris cauſis ſecernere non ignorat: nihil eum magis afficit quàm diuini ſui nominis falsò inaniterq́ue interpoſiti abuſus. Nihil grauius hypocriſi, perfidia & rerū confuſione, fidei præſertim & religionis iuſtitiæq́; ſimulatione obtectis vlciſcitur. Nunc verò cùm hæc Reip. Gallicæ perturbatio cernitur, Gallorum eſt omnium totam adeò oculorum aciem, intendere, inuigilareq́ue ne aliqua ſpecie, aliquove

nomine decepti in prauum dirigantur. Itaque præterita meditemur, iisq; comparemus præsentia. Vnde noui isti rerum motus oriantur, & quò spectent dispiciemus. Res nota palamq; testata omnibus hoc in regno, & Guisiorũ gẽtem iactitare à Caroli Magni stirpe se trahere originem, eosq; esse, quibus hoc regnum propterea competat. Argumento sunt (quas non ita pridem finxerunt) Genealogiæ; & quos, veluti per manus traditos, sparsere, commentarii, aliaq; plurima eius generis inuẽta. Præcipuè verò (ne res altius repetamus) liber ille, quartum vel quintũ abhinc annum Lutetiæ ipsis authoribus in lucem editus, & à Roserio quodã Tullensi Archidiacono conscriptus, quo falsis commentitiisq; allegationibus præter sententiam & contra scriptorum mentẽ prolatis, Roserius probare nititur istam olim gentem à Pharamundo vsque ortũ duxisse: ac inde continuata quadam serie gradatim ad Guisios deuentum esse: Nimirum hoc regnum ad eos spectasse innuit, antequã Capetus, Carolus, Meroueus eorumq; soboles regium sceptrũ adipisce-

adipiſcerentur. Liber Pariſiis paſſimque in Gallia peruulgatus eſt. Quod cùm Regi innotuiſſet, Brulartum Inquiſitionum Præſidem Tullum ablegauit, mandauitque vt citatus libri ſcriptor apud ſe cauſam diceret. Eum Brulartus reum egit ac peregit: Sed ſumma Regis clementia veniam conſecutum honoraria multa culpam expiare, læſæq; maieſtatis crimẽ fateri, & contrario ſcripto Palinodiam canere iuſſit. Verũenimverò cùm iſti genti nullo nõ tempore perſpectum exploratumq; eſſet arduũ fore, vt pacatè ac tranquillo regno, votis potirentur, ſeditiones apud nos perpetuò cõflare ac fouere conati ſunt. Quòd tantiſper dum illis ex animo obtigit, quantacunq; populũ calamitate bella ciuilia affecerint, & quantacunque ex iis in hanc Remp. ſecuta rerũ confuſione nihilo magis cõmoti, vix vllum vnquam ægritudinis aut commiſerationis ſpecimen exhibuerũt. In promptu cauſæ ſunt: nam ea ratione Galliæ ſanguis effundebatur: Iſti verò ex eius imbecillitate quæſtum facere ſtudebant, nempe popularium ærumnarum præci-

pua inſtrumenta erant. Quò aũt grauiores, eò prætextus iſtis cõmodior ſuppetebat ſuę inde ſeditionis argumentũ capiẽdi. Arma atque omnis penes eos authoritas, quib. ſibi inter homines fidem compararent. Ac eo pacto faſtigii dignitatisq; ſuæ ex noſtris ruinis ſperatæ atque iis deinceps ſuperſtruendę fundamenta iaciebant. Bello deniq; animi hominum ſenſim labefactati ad quaſuis factiones concitationesq; (cùm iſtis ſcilicet opportunũ videretur) procliuiores reddebantur. Tũ religio alendis miſeriis ciuilibus materiã præbebat, nec ſtatim initiò deprehendebatur hoc eos honeſto nomine, ſummo Principum noſtrorum pietatis ſtudio ac feruenti noſtræ nationis zelo ad conſilia ſua incœptaq; abuti, atq; hanc, prætextũ, non veram eſſe cauſam. Qui iſtorum quondam patruum Cardinalem Lotharingum nouerit, hic minimè hæreat: Is enim dum facto in omnibus regni partibus incendio ardorem illum zelumq; religionis prætenderet, interea Germaniæ Principibus ſignificabat ſe eorum cõfeſſionem amplecti, eamq; velle in Gallias

inuehere. Vnde cùm in Germanorum gratiam ex fratre nepotes Augustana cõfessione imbui curaret, inter familiares dicere non verebatur, Nisi Religionis, vt vocant, reformatæ professores in primis sibi cum suæ gentis hominibus (tanquam citatis reis) decertandum esse statuissent; Quod ad Religionis doctrinam spectaret, in eo vtrinq; conueniendi dissidiaq; inter se componendi rationes minimè defuturas. Tãdem Regum nostrorum prudẽtia compertum est, postquam hi extrema tentassent omnia, non ferre Religionem vt ipsa armis prædicetur. Vim quidem atque violentiam hypocritas parere non Christianos. Bella corruptelarum parentes, quàm cõtrariam depellant religionem, potiùs atheismũ inducere. Deinde istos maximè qui bellũ pro religione suaderent, non esse cæteris religiosiores sanctioresve: magis vafros esse chirurgos, qui suo lucro vulnus alerent. Periculum ne Regis Francisci magni oraculum comprobaretur, qui dixisset, *Guisiorum gentem liberos suos ad thoracẽ miserumq; suum populum ad inducsium*, hoc

eſt, *in ſummam paupertatem eſſe redacturã.* Itaque à nonnullis Catholicis ſtudioſiſſimis obſeruatum eſt, cùm die diuo Bartholomæo ſacra Carolum Regem impuliſſent, vt quotquot religionem, quã vocant, reformatam profiterentur, è medio tolleret, ſatis illis fuiſſe hoc nomine priuatos gentis ſuæ inimicos extinguere, propriasq; ſimultates vlciſci ac perſequi. Imò in omnibus Imperii ſui prouinciis lenitatem atque manſuetudinem præ ſe tuliſſe: ſic modis quibuſque ex Principis rigore ac ſeueritate ſua comparaſſe commoda, quod pro ſummo ſuo ingenii vigore Rex optimè animaduerterit. Præterea neminem fugit hunc noſtrum Regem cum proſperrima, vt facultas tulit, fortuna totum adoleſcentiæ tempus exterminandis aduerſæ religionis profeſſoribus conſumpſiſſe. Regnum deinde ingreſſum de priori acerbitate tantiſper nihil remiſiſſe, dum perſpexiſſet conſcientias vi armorum nũquam domitum nec pacatum iri. Atque vt altera populi pars exterminetur, totum regnum populumque vniuerſum delendum eſſe. Is ergo pluri-

plurimorum magnorum Principum, vicinarumq; Rerumpub. quas viderat, exemplo, regni sui incendia beatissima pace restinguere decreuit, & quemlibet donec à pio aliquo concilio certus quidam statueretur ordo, sibi suæq; conscientiæ viuere permisit. Interea propositum illi fuit dare operam vt Ecclesiastici ad pristinum officium reuocarentur, Ecclesiæque honores viris idoneis & de suo munere solicitis, quoad eius fieri posset, tribuerentur. Cumq; nosset quantum reb. in omnibus exemplum Principis valeat, formare se in primis tanquam pietatis exemplar, ac se aulæ, Principibus, Equitibusq; dare imitandum. Ii nimirum erant suo quidem iudicio veri legitimiq; modi à Deo constituti, quibus Ecclesiæ membra coadunari atque ad eam conscientiæ reduci queant. Sed vix inita pace ad anni MDLXXVII exitum, & patefacto eius aliquo in posterum tuendæ studio, ne sua inutiliter ac populi arma inter se amplius committenda forent, cùm isti eo pacto dominationis sibi in medio armorũ cõparandæ rationes præcidi cernerent, no-

ua capere consilia, ac euidenter significare bellum ciuile sibi quęstuosum, hoc est, sibi ędificationis loco nostram esse ruinã. Quamobrem erepto illis religionis nomine alias perturbãdi regni speciem effingere cœperunt. Tum igitur varias regni prouincias ad detectionem solicitare, cleri onera edocere, sed à bello quod ipsi accẽdissent fouendo q; propagassent, causam reticere nec eloqui, Cardinalem Lotharingum horum patruum decimarum incrementum, partis q; bonorũ Ecclesiasticorum auctiones venditiones q; omnium primum instituisse atque adeò auidè procurasse, vt Romæ etiam Ecclesiæ Gallicanæ flagelli nomen reportarit. Equestris ordinis diminutionem & contemptum dicere nec commemorare suã gentem, quandiu ea rerum potiri potuit, stirpis Regiæ principes, qui Equitum primi nuncupari atq; haberi non erubescũt, manibus pedibusq; depressisse. Præterea silere Equitum extenuationem, nec non honorum huic ordini debitorum ac munerum, contemptum bellorum ciuilium authoribus imputanda esse. Qui enim bella

bella ciuilia in Remp. inuehit, eodē propemodum aditu omnium ordinum cōfusionem inuehit: qui repurgari illico atque in pristinum statum reduci nequeūt. Tributorum amplificationem, nouorūque vectigalium misero populo impositorum inuenta afferre in mediū, nec verò addere bellum noua semper Principi & deinceps populo onera parere. Ea porrò sola pacis continuatione leuari & minui. Populum è recenti bello Principis benignitate vixdum frui posse. Nouas seditiones inire vt à Principe leuationē & solatium consequamur, Nihil aliud esse quàm morbo remedium peius, imò contrarium adhibere. Hoc ipso, inquā, Principi facultatem populi subleuandi præripi. Et quod summū est, populum pluris annuum bellum quàm decennale vectigal empturum: Imò è bello decennali optimè constituto tanta damna, vt ex annua seditione eaque ciuili, quam hoc nomine suscitare parabunt, non oriri. Tum in eorum libellis nulla Religionis mentio, feruor ille quo se tegebant prius & deinceps texere, nō prodibat. Contrà ve-

rò cũ aduerſæ Religionis profeſſoribus, quod nemo ignorat, conſilia habebant, vt eos ad ſuas partes traducerent, Religionis exercitium ex Edictis & præter Edicta, ſi opus foret, pollicebãtur. In Germania varia moliebantur, præſertim apud Ducem Ioan. Caſimirũ, non ſolùm vt eum ad hãc ſocietatem pellicerent, ſed vt is etiam cæteros Religionis (quam vocant) reformatæ profeſſores hortaretur, qui eius freti authoritate nihil ab iſtis in eorum detrimentum attentatum iri ſibi certò perſuaderent. Regia ſui imperii oppida aliquot tanquam fidei abs ſe interpoſitæ pignora Caſimiro offerebant. Quæ res fortaſſe proceſſiſſent, ſi ſe ad iſtorum ductum Religionis profeſſores applicare voluiſſent. Sed & commodùm id periculi Rex a ſe pro ſua prudentia auertit. Cùm enim ſatis perſpiceret, qua iſti parte potiſſimum laborarent, ferre nõ potuit vt ex iniquo eorum animo priuatisq; iniuriis populus aliquid detrimenti caperet. Quin vſque adeò demiſit ſe, vt iis ratione quauis ſatisfacere niteretur. Eos itaq; ad ſe accerſiuit, honoribus cumula-

mulauit, de se olim data occasione bene sperare iussit, donis muneribusq; leniuit, quædam in pecuniæ illis aliunde debitæ solutionem assignanda curauit. Annuerunt verò postularuntque vt Edicta de nouis quibusdam vectigalibus proponerentur; hæc illis assignarentur: Impositа quam primùm atq; assignata sunt. Non difficile tunc factu fuit istos cleri, equestris ordinis plebisq; memoriam deponere. Nam cùm prouinciarum, quas ad seditionem concitare studuerant, Legati in aulam aduenissent, se eos non modò non agnoscere, sed ne vix quidem cõspicari simularunt. Porrò de multis Edictis decernendis publicoq; consensu recipiendis sententiam dixerunt; quæ Rex postea monitus, quanta præ iis onera populo sustinenda essent, rescidit atque abrogauit. Neque vnquam contigit vt apud Regem vel priuatim vel in senatu de subleuando populo vllum verbum facerẽt. Qua ex re in prouinciis prudentissimus quisque meritò notauit istos peruersa Reip. administratione, si qua foret, minimè angi, sed magis cruciari, quod eas in

rebus gerendis partes non tenerent, quas vt iustas debitasq; sibi tribuendas esse assumerent. Ad eas haud dubiè, si quas susciperent, prodendas paratiores quàm ii quibùscum populi nomine iure expostulare posse contendebant. Id verò maximè istorum pectus deinceps arrosit, animumq; planè confecit, quod cernerent continuari pacem, atque apud Regem esse ratum eam magis ac magis firmare, eiusque interuentu, abusus qui in munera Ecclesiastica irrepsisset emendare, Equestrem ordinem pristino suo splendori restituere, populoq; tributis & vectigalibus miserè mulctato misere subuenire. Ea namque mala à bellorum continuatione vt plurimum inuecta non alio demum remedio præterquam pacis continuatione sanari posse. At verò postquam Deo opt max. visum est sereniſſimũ Regis fratrem in cœlum cooptare, tempus adesse duxerunt, quo de perficiendis veterib. suis institutis seriò cogitandũ esset. Cœperunt itaque solicitationes & secreta consilia cum vicinis omniũ suspectissimis atque huic Reip. periculosissimis instaurare

ſtaurare & ſtatuere quomodocũq; ſe res habeãt, arma vt mutationi, quam hoc in regno moliebantur, viam ſternerent, ſibi neceſſariò eſſe capienda. Ea igitur cauſa eſt quamobrem hodie bellum aggreſſi ſunt, quantumuis licet ſpecioſum nomẽ obtendere voluerint, vt omnes cuiuslibet ordinis homines eodem crimine irretirent, quibus certè credere eundem ſcopũ eundemque finem proponi, neque naturæ neque rationi conſentaneum eſt. Eos autem propemodum neſcire, qua ſpecie ſua in hanc Rempub. conſilia commodè occultare debeant, hoc argumentum eſt, quòd belli initio proteſtatiões ediderint, quarum ſola varietas cunctis falſitatẽ detegere poſſit. Aliis enim religionis contrariæ extirpationem iurant: aliis ne eius quidem vllum verbum: Si tantus eos zelus ardorque commouet, quid hoc in loco idem zelus excidit? Aliis à Rege contendunt, vt regni ſui ceſſorem nuncupet; aliis verò hoc ipſum caput à tergo miſsũ faciunt. Si tanta eſt eorum Eccleſiæ Catholicæ cura, ſi tãtus metus ne cũ ea poſt Regis obitum malè agatur, quid calamo

inhæsit? Aliis rursus Ecclesiæ & populi protectionem aliaque nomina præ se ferunt. Quis in tanta varietate non videt istos vbi pedem figant, ignorare? quis non perspicit in incerta Protestationum forma incertum ac titubantem conscientiæ habitum? quis denique hominũ sermonem non animaduertit qui, quo malũ suum animum honestare queant, fucum vix inueniunt? qui dum falsitatem vnam duabus, duasque tribus obnubi posse autumant, ab omnibus simul iunctis mendacii arguuntur, & qui qualesq; ipsi sint, maximè indicatur, reuelaturq;. Vnam tantùm religionem in Gallia esse volunt. Atqui istud est commune omnium piorum Christianorum desiderium. Quas verò huius rei adipiscendæ rationes proponunt? Si de vi agitur, magnus ille Imp. Carolus V. eius quo ad conscientias, infirmitatem atq; inutilitatem in Germania expertus est. Philippus Hisp. Rex cùm suos Hollandiæ Zelandiæq; populos vi armorum in extremam necessitatem adduxisset; tandem anno LXXVI pacem illis cõcessit, cuius beneficio contrariam religionem

religionē integram permiſit; ſed nec Cathol. apoſt. Romanam in iis regionib. inſtaurauit; īmò nec Eccleſiaſticis bona reſtituit: Eaſdem deinde conditiones per ducem Terranouanum nō harum tantū prouinciarum, ſed etiam quarumdam aliarum cauſa ante triennium obtulit. Reges noſtri impenſius quàm iſti ſuos cremarunt, ſubmerſerunt, multis prælijs vicerunt, multis modis adorti ſunt, omnes quinquaginta annorum ſpatio vias ac rationes tentarunt, nullisq; facultatibus pepercerunt, vt hanc religionem contrariā tandem conficerent radicitusq; euellerent. Quod Carolo V. Chriſtianū, quod Philippo Catholicum viſum fuit; alteri vt populos electione magis quam natura ſibi ſubiectos ſeruaret; alteri vt regiones tueretur, quæ prę multis aliis ampliſſimis ab eo poſſeſſis ipſi pro nihilo erant; Cur noſtro Regi nefas erit, vt iis parcat, quos natura ſuæ fidei commiſit, atque vt vniuerſam Remp. ſuam ab ineuitabili pernicie vindicet? Remp. inquam olim quidē florentiſsimam, ſed deinceps eo ipſo decreto, quod iſti renouare ſtudent, in ſum-

mum, vti iam vidimus, discrimen adductam? Si dicent belli rationes tum perperam constitutas fuisse, quibus quæso aliis præter seipsos culpam adscribendam putent? An non ipsorum patres ipsiq; in bellis potissimum imperarunt? An non belli & pacis arbitri fuerunt? An nõ, vt res eorum ferebant, ad arbitrium libidinemq; suam modò classicũ cecinere, modò receptui signum dedere? Quòd si Regem bello immortali, sacramẽto etiam interposito obligare cupiunt, hanc videlicet miseram Remp. miserumq; populum iã tot annos vexatum perpetuæ calamitati addicere. Est equidem subditi in Principem lex ea durissima, nimiumq; intolerabilis: Istud equidem manifestum indiciũ est eos religiosissima ruinæ nostræ cupiditate teneri, cui nos religione mãcipare velint. Adde quod argumentum est profecto certissimum, istos assiduè armatos esse velle, istos inermes esse nolle, atque istos tãdem regi aut media inter arma, aut potiùs armis suis parentare velle. Nos verò infelices, quibus tantam sustinentibus insolentiam viuere, infelicissimos, quib. si

istis

istis ex sententia succederet, nostro Principi, nostri Principis sanguini, nostræ euersæ patriæ nostræq; Reip. extinctis legibus superesse contingeret. At nonne dolendum esset regnum hoc post Regis obitum ab hæretico obtineri? Prouidi tutores? Huic autem malo qua ratione medeantur, dispiciamus. Iuuenem ac Dei beneficio firmæ valetudinis Regem habemus. Contendunt nihilominus, vt is regni successorem nuncupet, imò ipsi nuncupãt. Nam illustriss Cardinalẽ Borbonium armant, instruunt q; , qui quam fabulam agant, non perspicit, dei vt primi stirpis regiæ Principis regalisq; sceptri hæredis nomẽ sibi sumat, authores sunt. Quod monstrum? quæ Chimæra? Si res tanti est, & si tantus ob Cathol. Ecclesiam metus, quis eius caussa magis adeundus erat, quàm Rex noster Princeps Christianissimus, Princeps piissimus, Princeps q; inter omnes Cathol. Apost. Rom. religionis studiosissimus? De quo verò minus cogitãdum quàm de Illustris. Cardinale Principe iam decrepitæ ætatis & penè animam agente, Principe, inquam,

quem ſecundum naturam Regi ſuperſtitem fore ſperare non poſſunt, ni fortè vitæ eius fines circumſcripſere? niſi ad eius interitum conſpirarunt, coniuraruntq; Nempe homines à quibus totō vitæ ſuæ tempore illuſa religio eſt, regi noſtro cōſcientiæ viam mōſtrabunt? Gallos pietatem in patriam docebunt Lotharingi? Erunt Principes exteri noſtrarum legum interpretes, diſſidiorum noſtrorum arbitri? Principum regiæ ſtirpis, regiæq; conſanguinitatis iudices? Quis hic non videt (Deus Illuſtriſſ. Cardinali oculos aperiat) conductum eſſe eum vel commodatum vt tanquam in ſcena ſemeſtri forſitā ſpacio regis perſonam ſuſtineat, dū res iſtarū partium optimè conſtituantur? Quis nō videt de eo iſtos minimè, ſed de ipſis cogitare, cum de eo verba faciunt, & Regi triginta quatuor annos nato futurū ſucceſſorem nominant plus quam ſexagenarium? Cùm inopiam hæredum quam regi obiiciunt Illuſtriſſ. Cardinalis annū iam climactericū egreſſi vigore ſupplendam eſſe putant? Verùm vt Rex ſucceſſorem nuncupare teneatur, arma in eum ſumere

sumere, in fauces inuolare, & veluti pedibus conculcare velle, quod amplius est, acceptos ab extero Principe nummos distribuere, petitas accersitasq; exteras copias introducere (id equidem Cardinalis Illustrissimus pronuntiati mihi ignoscat) si quo ista tendant non videt, hoc est planè nihil videre: Id enim non est Gallum esse, id verò est regnum extero Principi vendidisse, id est nostram in vestem iecisse aleam, cui cõsequendę cùm solos se impares esse sentiant, eam extero hosti obtrudunt participandam, nos ipsi venales & libertatis specie prædæ exponunt.

Rursus nolũt Principi hæretico subiici, hisq; addunt Gallos non alia conditione suo Regi se iureiurando obstringere, quam si Cathol. Apost. Rom. Ecclesiam tueatur. Periculosa verò propositio, & nihilominus quàm Chilperici deiectio putida, cuius in locum Pipinus olim assumptus fuit, quòd nimirum ille non satis strenuè Ecclesiam contra Sarracenos protexisset: Sed Deo auspice Rex noster suas partes optimè diuque tutaturus est. Quid ergò si is occiderit, vel potiùs si eũ

iſti (vti ſperant) occiderint? Se nunquam laturos innuunt, vt Rex Nauarræ regni hæreditatem adeat, quam tamen iure ad eum ſpectare, quo ſe cunque fuco velare nitantur, ipſi ſibi ſunt cõſcii. Sed Nauarræ rex iudicio ſatis pollet, etiamſi nulla eius foret in Regem propẽſio, vt intelligat quàm maximè ſibi Regis vita hoc tempore vtilis ac neceſſaria ſit. Attamen eius eſt ſuæ hîc cauſæ adeſſe. Verum enim verò quis ille vates animum tanti Principis vſque adeò ſcrutatus præſagiuit fore, vt is iuſiurandũ iſtud, quod armis omnino intempeſtiuis extorquere videntur, præſtare fugitet? Si Romanorum Imperator Auguſtanæ confeſſionis profeſſores vnà cum Catholicis accommodato etiam iureiurando, amplexus eſt: Si Bohemiæ Rex Huſſitis non ſecus quam Catholicis tutelam ſuam præſidiumq; ſacramento deuinxit: Si Rex noſter Chriſtianiſſimus Poloniam ingreſſurus vtriuſq; Religionis defenſionem ſanctè pollicitus eſt; Si ſe hoc ipſo in regno contrariæ religionis hominibus eiuſdem rei cauſa obſtrinxit, dum eam illis pacem iſtorum

conſilio

consilio& auctoritate concederet,quam vt infringere,simulque suam ac ipsorum fidem prodere cogatur, mox ei vim faciunt. Cur Regem Nauarræ,quod olim ab aliis exegit,à se postea vicissim (si liceat) vt postuletur,somniant non esse passurũ? Cur idem non libenter iuraturum, promissurum, seruaturum,& Catholicos cũ cæteris æquè defensurum? Dixi libenter, nam si nos ob nostra crimina nostro Rege optimo nulla prole relicta (quod Deus omen procul auertat) spoliatum atq; orbatum iri contingeret, ipsiq; Regem Nauarræ fore superstitem; minimè dubium est quin is non modò non repugnans,sed ne recusans quidem cuncta ea polliceretur, cunctaq; efficeret, quæ ad populorum suorum quietem & Reipub. commodum pertinerent. Neque verò subditorum esset vllius iurisiurandi formulã naturali ac legitimo suo Regi præscribere. Cuius scilicet maiestas non a solemnibus,non a ceremoniis, quæ mutabiles minimeq; fixæ sunt, non ab aliqua sacramenti religione, qua se subditis obliget,vim aut essentiam capiat, sed magis

diuina benignitate, veteriq; lege Gallica conſtituta ſit. Quæ lex veluti firmiſſimũ huius regni fundamentum, cùm omnia iuramenta & robore & vetuſtate longè ſuperet, à nemine tolli vel labefactari queat. Illa autem iuramenta à primis regibus nunquam, à ſequentibus vltrò quidem facta, à mediis immutata, ab vltimis renouata auctaq;, à futuris deinceps inuitis petita, ſi forſitan denegentur, nec maieſtatem imminuere, nec de debito Regibus populorum obſequio iure poſſunt quicquam eximere. Quippe reges Galliæ nõ electione, non populari ſuffragio, non vſurpatione, ſed diuinitus proxima regiæ ſtirpis agnatione Reges creati, nihil vlli mortalium huius beneficii nomine, ſed ſoli Deo opt. max. & ſacramentum omniaq; debent. Ac quemadmodum diuino naturaliq; iuri propterea deuincti ſunt: Sic populi reipſa in eius, licet iniurati, verba iurare legibusq; morem gerere tenentur. Denique ſi, vt Iuriſconſulti aiũt, Iuramentum feudatarii domino præſtãdum non eſt de ſubſtantia feudi. Cur Regis iuramentum ſubditis præſtandum de

regni

regni ſubſtantia foret? Ad hæc Rex Nauarræ reſponderit ſe ea in religione, quã profiteatur, natum atque educatum eſſe, bona cõſcientia niſi edoctum priùs ab ea deficere nõ poſſe, prõptum ſe ſemper ac paratum fore, vt liberi ac legitimi cuiuſdã concilii inſtitutionem amplectatur, atq; commonſtratum errorem deponat. Si poſtulant, vt abſque inſtitutione vlla, ſed regni tantùm alicuius ſpe vel deſperatione vno impetu ab alia profeſſione ad aliã tranſeat: quid aliud, quæſo, in eo requirunt, quam inconſtantiam, quam perfidiam, quam hypocryſin? non vt ſe Regis dignum nomine, ſed potiùs reddat indigniſſimum? Si ſe ad melius docendũ exhibet, ſi in meliori doctrina ſibi tradenda non abnuit acquieſcere: quo in veterum Canonum loco reperient eam obedientiam, eamq; ſubmiſſionem hæreſin nuncupari? Quiſlibet error (inquiunt Canones) non eſt propterea hæreſis. Hæreſis eſt error maximi momenti; Error, inquã, qui in fidei articulorum & ſalutis fundamento verſatur. Rex autem Nauarræ ait ſe Chriſtianum eſſe, ſe credere ſalutẽ ſuã

in ſolo Ieſu Chriſto ſitam eſſe, ſe ſacroſanctum eius Euangelium, vt certam veritatis regulam cõplecti ac reuereri; Symbola Eccleſiæ ſe credere; Concilia vniuerſalia in Eccleſiæ flore habita ſuſcipere, omnes hæreſes iiſdem damnatas condemnare, atque hodie concilio vniuerſali, vti par eſt, conuocato, & legitimè habito ſefe etiamnum ſubiicere. In eo igitur ſi propriè loquamur, non eſt hæreſis. Nũc enim tam multa credit, quanta primi omnium ſibi ſatis eſſe credere iudicarunt. Neque verò ſchiſma, quia ſchiſma præ ſe fert firmum in ſeparatione propoſitum. Bonũ ergo & ſolemne habeamus concilium, iſque ſtatim ſe nobis coniũgendũ præbebit. Præterea quiſquis (aiunt Canones) hæreſi tenetur, nõ eſt propterea hæreticus: hæreſi enim præſupponitur ambitio nouitatis, & ptinacia aduerſus rationem traditam & oſtenſam. Oẽs autem iudicare queunt, nũ Nauarræ rex eam in rem ambitione impellatur: nã vt aiebat Iuriſconſultus, Cui bono? Quod inde commodum poteſt percipere? Ea ambitio cadit in doctorem Theologum,

non

non in Principem ; Ea pertinacia in Sophiſtam cadit, non in eius ſimplicitatem qui ab alio docetur. Si ambitione moueretur, regiam beneuolentiam, omnium Catholicorum fauorem, maximorum in orbe Chriſtiano Principum vota & ſuffragia ambire mutata illico religione vtilius foret. Si denique ambitio hæreticum facit, equidem iſtius cõiurationis authores, cum ſint omniũ ambitioſiſſimi, ſummos appellabimus hæreticos. Sed conſcientia Rex Nauarræ ducitur; conſcientia facit, vt omnes quibus iſti feruntur cõſiderationes prætereat: ſperatq; rem ſibi fore cum populo, qui non Principẽ erga Deum, propriamq; conſcientiam perfidum cupiat; ſed magis pacificum, rationis capacem, ac meliora addiſcere, melioraq; facere paratum, quandocunq; ea docebuntur. Lex huius Reip. filium religionis cauſa, neque directa, neque collaterali hæreditatis ſucceſſione priuat, Cur Principem? Lex ad omnium numerum adminiſtrationem vtroſque abſque vllo diſcrimine admittit; Cur ad Reip. non item? Lex vnicuique exercitium ſuæ reli-

gionis permittit neminemq; excipit; Cur ſolus Princeps hoc priuilegio excludetur? Princeps, inquam, qui cæteris priuilegium impertire ſolet? Cur ſolus in ſua conſcientia omniũ rerum pretioſiſſima ſeruitute ſeruiat, qui cęteros libertate donat? Legem dixi Reip. Nam ea ſola viuimus, eaq; ſola in pace viuere, hanc Rempub. in priſtinum ſtatum reducere, atque ab ærumnis eripere poſſumus. Legẽ, inquam, in comitiis Aurelianenſibus, ſine vi, ſine prẽnſatione, ſine conſpiratione ſolicitationibusq; eorum qui noſtram hodie Remp. perturbant inſtitutam. Comitiis denique eorum impulſu atq; adeò ab ipſis dum ſumma authoritate fruerẽtur, conuocatis, quæ nunquam infringere tẽtarum, quin nobis protinus ad bella ciuilia deſcendendum fuerit. Et bellorũ certè ciuilium nomine omnia calamitatum & confuſionum genera comprehendũtur. Legem itaque iuſtã, quod ea omniũ maximè neceſſaria ſit. Legem in præſenti rerum ſtatu irreuocabilem, quod eius reuocatio nos in pernicię reuocatura ſit. Legem laudatam, legem iuratam ab omnibus

mnibus Principibus, prouinciarum legatis, Cõcilii intimi Senatoribus, Supremis curiis, Iudiciis præsidialibus, omnibus regni ciuitatibus, & communitatibus. Ab aliis denique qui temerè hodie aduersus eam protestari volunt: Legẽ tamen, quæ religionis negotium libero concilio decidendam remittit; Cuius pendente expectatione nemo hac in Rep. hæreticus appellari, & cui qui se subiicit, neque pertinax, neque schismaticus iure haberi põt. Nonnulli Impp. ipseq; Constantinus sub finem, nonnulli etiam Hispaniæ Reges opiniões erroris plenas secuti sunt: Erroris, inquã, in præcipuè fidei articulis. Rex verò Nauarræ non vsque eò lapsus est; legitur ne propterea de iis deponendis vnquam cogitatum, de iis excludendis quicquam propositum fuisse? Nonnulli etiam Papæ Doctores, quibus meritò hęretici atque hæresiarchæ nomen conuenire debebat, malè de Christo senserunt, perperam de eius diuinitate, salutis & religionis fundamento tradiderunt. Christiani tunc orbis id intererat vniuersi. Publicus fons, vnde quisque hauriebat, in-

fectus venenatusq; erat. Quid de iis actũ sit videamus. Cessatum fuit, donec concilium solenne congregaretur, deinde eo habito auditi, instituti atque ad emendationem & resipiscentiam admissi: Nunquam nisi in frequenti concilio hæretici pronuntiati fuere. In eorum dignitatem nihil per præsumptionem, nihil per præuentionem, nihil per vim vnquam attẽtatum. Omnes semper iuris formulæ obseruatæ condemnationis sententia expectata atq; adeò lata ea, tempus illis datum ad cogitãdum. Respirandi potestas facta, vt ad bonam, si vellent, frugem redirent. Ne verò quiuis Princeps hæreticus sit, imò infidelis, tamen qui ei politicis in rebus resistit, Dei ordinationi resistit. Discite à me, inquit, Christus, quia mitis sum & humilis corde. Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo. Pagani Imperatoris edicto Christus Christiq; parẽtes obsecuti sunt. Qua fronte nos Principis à Christo dati iugũ subire recusabimus. Sed periculum est, aiunt, ne si Rex Nauarræ regno potiatur, Catholicam religionem euertat. Respõdeo

deo ab eo nos longo adhuc abesse interuallo: Eam porrò curam tam longinquã ac tempori minimè consentaneam, violentissimam animi affectionem & nulla religione impulsam indicare. Respõdeo Regem nostrũ Dei voluntate in ipso esse ætatis flore, nisi de aliquo istis dolo fortasse constet, qui abditus nobis, & quẽ Deus auertat. Respondeo eum spe liberorum suscipiendorum non destitui, Regem, Reginamque vxorem pro ea qua vterque est ætate, etiam duodenos absque vllo miraculo procreare posse. Respõdeo futuro huic quod obiiciunt malo debile remedium adhiberi, nempe Cardinalem Rege bis seniorem, Cardinalem, inquã, cœlibem, cui metuendum ne priùs funus ducatur, quam vt ipse vxorem ducat: denique certum se, si is vnquam duxerit, filios non esse genituru. Quod verò attinet ad Religionis mutationem, quam tanto perè formidandam censent, Rex Nauarræ dicet etiam Religionis suæ præceptis passim traditum, *Vim conscientiis non esse faciendam.* Deinde in ipso bellorum ciuiliũ ardore, cùm omnis per vniuersam

Galliam religionis (quam vocant) reformatæ vſus prohiberetur, ſe nihilominus Cathol. apoſt. Rom. in omnibus ſuæ ditionis vrbibus integram intactamq; ſemper reliquiſſe, atq; eius nolle alios, quàm clerum, ſacerdotes, monachosq; Agenēſes, apud quos morabatur, teſtes adducere. Sed belli pacisq; tempore non modò in iis quæ ad aulam familiamq; pertinerent; Sed in cunctis etiam muneribus publicis, quorum ei facultas fuit, hominum religionis vtriuſque miniſterio abſq; vllo diſcrimine perpetuò eſſe vſum, in cubiculo, in conſilio, in ſatellitio, neque vllū vnquam cōſcientiæ nomine à ſe poſthabitum vel remotum. Quod eos qui ad eius regiam aliquantulū acceſſerunt, minimè fugit. Præterea in ea regni Nauarræi parte ſibi à Deo relicta, quæ Biarnēſi ſua prouincia longè amplior eſt, Cathol. apoſt. Rom. Eccleſiam, vti olim, permiſiſſe, neque de eo ſtatu, quo aduentus ſui tempore fuerat, quicquā immutaſſe vel innouaſſe: Id autem malitiosè tacetur, ſatisq; fore creditur, ſi cauſa Biarnenſis calumnia eleuetur. Verùm hîc ita ſe res habet,

bet, Biarnum quõdam à Regina ſua matre colendiſſimæ memoriæ omnium ordinum ad hoc citatorum conſenſu Religioni (quam vocant) reformatæ addictũ fuiſſe: quam religionem cùm ipſe profiteatur, eam certè in eo quo repperit ſtatu abs ſe relictam: Deinde ſe tantis cõtinuò laboribus, tantisq; ærumnis ſuo capiti paratis exercitum, vt nullam hìc mutationem opportunè ceſſuram eſſe exiſtimaret. Interea non neſcitur omnes eũ acerbitates inde remouiſſe, legibus modum adhibuiſſe, Eccleſiaſticis vt pẽſiones ſoluerentur, curaſſe, atque eas aliquoties ꝓpriis nummis exſoluiſſe. Id quod Epiſcopi aliiq; Eccleſiaſtici qui agros in ſua ditione poſſident, negare non poterunt. Tãdem populo ſuo comitia ſemper obtuliſſe vt liberè cuique ſententiam dicere & quid ad conſcientiæ atque animorum quietem ab eo requirendum ducerent, declarare liceret. Quòd ſi Cathol. apoſt. Rom. Religionem Biarni aſſumptã non eſſe in malam partem trahatur, eã in Nauarræa ditione, vbi par imperium habet, non eſſe repudiatam, in bonam partem

trahi neceſſe eſt. Imò ab omnibus ſanæ nec vllo modo affectæ mentis hominib. vtrobique in optimum, quòd neque ibi neque hic quicquam immutarit aut innouarit, præter quam quod Biarnenſium conſtitutionũ, dum poſtea meliora ſperaret, rigorem lenierit. Scilicet eum non eſſe Principem, qui nouitatibus delectetur, aut qui violento animi impetu temerè ad huius aut alterius religionis cõuerſionem feratur; Sed qui potius res omnes eo loco, quo eas nactus eſt, libentiſſimè patitur, niſi aliqua euidenti & perſpicua vtilitate inde rapiatur. Quis verò Regem Nauarræ adeò iudicii expertem ac ſuæ ipſius dignitati proprioq; commodo aduerſum cenſeat, qui ſi Deus & natura eũ ad tantum regnum eueherẽt, id per vim ſine ratione admittere aut in ſummũ diſcrimen velit adducere? Per vim, inquam, ſine effectu, & quæ certiſſimum ei pariat exitium? Quis porrò credat ab eo qui inferiori Nauarræ, quod nemine repugnãte potuit, vim inferre noluerit. Regno Galliæ, quod ſine ſua regniq; ipſius iactura fieri nequit, vim illatum iri? Hic ſcrupulus

pulus eaque dubitatio imperitorum, nõ ſapientum animis poteſt iniici, neq; hanc qui contra proteſtantur, ipſi mouere audent, quamuis ita fore aliis perſuadere nitantur. Adde quod ſi eò deuentum atque huic dubio ſecuritas inueſtiganda eſſet, eã populũ à Principe flagitare, eã à Principe populo cõcedi oporteret. In hoc aũt Principe nullum vnq̃ vindictæ, nullum perfidiæ ſignum obſeruatũ fuit. Verùm alicuius rei nomine à nobis ſecundùm naturam ita remotæ, iam iamq; arma ſumere, ac teli ꝓcul adeò immiſſi, & quod nos à viceſimo trigeſimove anno vix fortè pertingat, declinationem vel depulſionem quærere atq; hac ſpecie vniuerſam Remp. inflammare, eam externo hoſti prodere, qui maximã nobis eamq; præſentiſſimam, vltraquàm iſtud, quod præſagiunt, mali facere queat, perniciem importet. Quid ipſum aliud eſt, quàm vt febris paroxyſmo occurratur, cicutã prę-ſcribere? Quid aliud quàm pro incerti morbi remedio mortem certiſſimã propinare? Hîc nempe dolo agitur manifeſto: Ignorantia enim craſſior foret, quàm

vt obtendi possit. Ergo istuc ęgro veneficium, istuc Reipub. proditio, istuc in Regem coniuratio est. Rex verò cùm successorem nuncupauerit, successorem, inquam, qui vt ei superstes sit, minimè debeat sperare, successorem tamen in eum finem nuncupatum, atque hac inflatum expectatione: quo tandem pacto regi satis erit cautum ne ab istis è medio tollatur? At Regem Nauarræ missum faciamus. Is suam probè, si quando vsuueniet, causam agere nouerit. Faxit autem Deus, ne vnquam vsuueniat.

Reliqua protestationis capita, qua maiori nitātur veritate aut specie, videamus. De adolescentibus queruntur, à quibus Regem aiunt possideri, summa captari beneficia. Principes, veteres ministros, ac primores equitum repelli. Quos designent absque vlla denominatione cuiuis facilè sit intelligere, nimirum de Ioyosio ac Espernone Ducibus sentiunt. Eos autē à Rege diligi non adeò absurda res est. Priuati homines in amicitiis liberi esse cupiunt; quantò magis Principes? Si amicitia

citia crimen est, quid iniqui accusatores Regis amicitiã per vim expetunt? eamq; cæteris inuident? Quid ipsi suorum quosdam omnium ferè indignissimos præ aliis habent in deliciis? Nostras si scrutabimur historias vllum ne Principem extitisse legemus, qui non aliquem beneuolentia complexus sit? Vt verò Rex de iis bene mereatur, id suum producens effectum voluntas facit. Amare nihil aliud est quàm bene cupere, nihil aliud quàm benefacere. Vera enim voluntas ad suæ facultatis proportionem extenditur. Sed immensam dicent Censores optimi nimiamque Regis liberalitatem ac suæ hîc esse censuræ locum. Præclarum sanè ederent exemplum si à seipsis reformandi initium capere vellent. Igitur proferant, quæso, quî fieri potuit, vt cùm eorũ auo postquam is primùm Galliam attigit, vix quinque aureorum millia annuo reditu obuenirent: nunc tamen isti in eadem familia supra decies centena millia possideant, nisi id Regum nostrorum liberalitate & benignitate adepti sunt; Regum, inquam, qui eos egregiis muneribus &

honoribus, ſummis Epiſcopatibus, Abbatiisq; ampliſsimis proſecuti, potentiſsimarum etiam familiarum hæredibus locupletiſſimis matrimonio iunxerũt. Regum denique quorum iſti in theſaurum, quando iis patuit, adeò ſtrenuè penetrarunt, vt ſexagies vel ſeptuagies cẽtena aureorum millia, quibus opima illis prædia comparata ſunt, inde eos deprompſiſſe ſatis conſtet, ſub aduentum Regis Caroli noni in Comitiis Aurelianenſibus decretum fuerat, vt referendis ad æratium rationibus citarentur, & in eos ob immẽſa dona à priorib. regibus, nuperrimè verò à Franciſco 10. cuius perſonam & theſaurum ſimul occupauerant, accepta inquireretur. Iſti autem ne de reddendis rationibus cogitandum illis eſſet, tanquã cenſores optimi, de non reddendis rationes inierunt: Cœperuntq; non expectato Regis mandato & præter Comitiorũ decretum contrariæ religionis profeſſores Vaſſiaci morte mulctare, ac incendiũ illud excitare, quo longo poſt tempore Gallia vniuerſa conflagrauit. Ita pater ne ratiões referre cogeretur, faces nobis intulit,

sulit, nunc filius vt alios reddendis rationibus adigat, ciuili nos bello implicare studet. Num Sanlucanum, Allumq; factionis suæ homines Regis munerib. locupletatos esse ignorāt? eos se pleno eius auro proluisse? Ad extremum cum iis quos hodie criminantur & à quibus se rationes exposcere simulant easdem partes obtinuisse? Ratiões ergo præ cæteris reddant, qui priores quæsturam gessere. Dicamus vero amplius. Isti certè nisi perpetuis aulicæ gratiæ imbribus irrigentur, ferunt ægerrimè: si vel eiusdem guttæ alios instillent, isti liuore conficiũtur. Homines Regi offensos ad se vndique pelliciunt. Hi verò si absque vlla animi perturbatiõe sua sors spectetur, ita beati sunt tantisq; beneficiis cumulati, vt eos à recto nimia solùm commoda abducant. Et nisi Regis benefacta forent, ne minima quidem illis malefaciendi facultas supperat. Regẽ profectò magis alieno iratoq; animo esse decet, atq; eius si cuius vspiã, miserabilis conditio est, qui in tam ingratum hominum genus beneficia, facultates, opes, authoritatem mox contra sei-

pſum exponenda contulerit. Populi autem miſerentur. Quid ni eum quietè ſinunt viuere? quid præclarum Regis ſtudium populo conſulendi iam reipſa teſtatum interpellant. Palam eſt Regẽ hoc anno ſepties centena Francicorum nummorum millia de vectigalibus detraxiſſe, atque vno die octoginta edicta abrogaſſe quæ populo aliquo eſſe oneri intellexerat. Imò generalem etiam regni cenſurã reformationemque parabit. Id erat initium. Altero anno plura præſtitiſſet: Nã rerum huiuſmodi ſtudio maximi paulo momento progreſſus fiunt. Hodie vero quis dubitat nouo bello nouos Regi ſumptus creatum iri? nouas populo ærũnas? Quam porrò parſimoniam, ſumptuumque moderationem inuehent frugales iſti patresfamilias, qui iam grandem pecuniæ ſummã oppidis, quæ detinent, imperare cœperunt. Qui Burgo ad Burdegalam plus pecuniæ vno die quàm Rex decennii ſpatio exegiſſet, vrbis conſuli & iuratis carcerem minati impoſuerunt? Perpendamus deinceps quantæ copiæ tã Gallicæ quã externæ nobis alendæ ſint,

quàm

quàm magna ſtipẽdia vtrinq; numeranda. Perpendamus quæ iam Regis æraria à populo vt iſtorum coniurationes reprimi poſſint, tandem reſarcienda vſurpentur diripianturq;. Perpendamus cõmeatus, annonarias expenſas, contributiones progredientibus & tranſeuntibus militibus ſuppeditandas. Omne bellum vorax monſtrũ eſt, quantò magis ciuile? Omne bellum mera confuſio eſt, quantò illud magis, quod à cõfuſis, quales iſti ſunt, hominibus geritur? Dixi equidẽ ſemel, rurſusq; dixero ſeditionẽ ciuilem tridui carius quàm vnius anni aut plurium vectigal populo venditum iri. Neq; belli quãtumuis iuſti triennium, vbi etiã iſtis quæ non eſt, mens eſſet integra, populo adeò ſalutare quàm pax diei ſolius foret.

Sed Rex aiunt, iniquè facit, qui equeſtrem ordinem parui pendat. Iſtorum ſectatores qui ſint, eosque qui vnà cum illis proteſtentur, videamus. Regiæ ſtirpis Principum neminem inuenio, qui ſuas partes ſit amplexus præter Cardinalem optimum, quem faſcinatum ludificant & bonis beneficiisque emungunt, vt iis eius

priuent nepotes. Atqui regiæ ſtirpis Principes primi in Equitum ordine habẽtur. Veterum regni magiſtratuum, veterum torquatorum Equitum, veterum Gallici belli ducum vix vnum, præter Lotharingos, præter quoſdam malè contẽtos, qui vtinam merito ſuo non plura poſſiderent, neminem video. Homines video perditos ac profligatos, homines omniũ partium, homines, quibus incendiũ, quibus bellũ ciuile vſui eſt, quales olim à Catilinæ partib. ſtetere. Credite ſcilicet Lotharingos de commodis Equitũ noſtrorũ magnopere eſſe ſollicitos: credite Lotharingos, qui quouis tempore Principũ noſtrorum dignitatem, quantum in illis fuit, depreſſerunt, quo quiſque ſuum retineat ordinem valde laborare. Ne quæſo, dictitent ereptos ſibi honores, erepta munera. Ea ipſi venalia habuere, eorum pretium, neque id quidem vile, conſecuti ſunt. Quod ſi ad deponenda munera nonnulli adacti fuere, meritò id certè accidit: hi namque iſtis obſtricti & quaſi conſecrati eiuſdem factionis, eiuſdẽ coniurationis erant. Itaque quod repudiati

ſint

sint istos grauiter angi minimè mirũ est. Alii præstantes quidam viri prouinciis se suis imperiisq; in Regis gratiam libenter abdicarunt. Num continuò queruntur? num continuò in istorum numerum nomen dederunt? Quin potius contra nitũtur: Eas enim prouincias, ea imperia ante ciuiles bellorum motus lege veteri à nostris Regibus identidem permutari solere probè norunt. Prouincias, inquam eiusmodi non magistratus, nõ perpetua munera antiqui Reges pro arbitrio reuocabant absque vlla iuris formula, absq; pretii restitutione, indicta causa sine prætextu; non vt eos quibus data erant cum aliqua indignitate priuarent, sed vt eorum opera commodius alio in loco vterẽtur; non vt eis debitos honores detraherent, sed vt maiores cõferrent. Id verò illi qualecunque boni consulebant, quia non eò gubernacula tenebant, vt se præberent Principibus necessariò retinendos emẽdosq;, atque eadem gubernacula hæreditaria efficerent: nam id ipsum nouum est malum ab istarum nouitatum authoribus inductum, qui vt nonnullos Pro-

uinciarũ præsides ad se pelliciãt, regib. do minisq; suis munificentiores easdẽ puincias, eadẽ gubernacula illis patrimonii loco fore pollicentur. Quippe cùm à se integrã ac vniuersam possideri Rẽp. nõ posse cognoscant, ideoq; ad eius dissipationem tendant, tanquam liberales reliquarum partium largitores eas prædæ exponere non dubitant. Atque vt præcipuorum regni munerum & prouinciarum cõmutationibus ab iis ipsis, qui eas hodie reiiciunt, iter olim patefactum esse intelligamus: ea recolamus tempora, quibus isti rerum potiebantur, meminerimusq; magno illi Equitum Magistro de Gallia optimè meritò summam aulæ regiæ, familiæ verò Longauillanæ sacri cubiculi præfecturam ob res aduersus Anglos præclarè gestas sibi hæreditario concessam ab ipsis ereptas fuisse. Deinde recentiori memoria tandem perfectum vt suę familiæ Britannica prouincia cederet, quam tũ dolo tum vi Monpenserio Principi integerrimo, cuius in gratiam princeps Dombcẽsis nepos ei prouinciæ destinatus fuerat, de manib. extorsere. Adhuc isti quo-

rumdam

rumdam priuatorum nomine, quos pretio aiunt ſua diſtraxiſſe munera querentur. Neque ſe tantos viros dignitatibus & honoribus ſpoliaſſe memoria repetendũ erit. Sed ad Clerũ pergamus, cuius cauſam ſuſcipere velle videri volunt. Quam, quæſo, Cleri cenſuram regi præſtantiorẽ afferent? Rex ſi de eius perſona quęratur, cleri ſuo exemplo venerandi viã vniuerſæ aulæ oſtendit. A Rege Primates Cleri in conſilium cooptantur. Sancitæ leges antiquis Canonibus conſentaneæ quib. viri in toto regno doctrinæ vitæq; probatiſſimæ Eccleſiaſticis muniis deliguntur. Ab illis indigni atque incapaces ſine perſonarum acceptione repelluntur, neque vlli præter eos, qui ſecundùm naturã ſua exercere poſſunt munia, admittuntur. Epiſcoporum quiſque ſuæ diœceſi contra quàm in aliis regionib. ſoleat, adeſſe cogitur. Rex denique earum legum præ omnibus ſuis maioribus obſeruator ſeueriſſimus, cæteris pietatis & religionis exẽplum præbet. Quid verò tam præclaro poteſt inſtituto addi, quam otiũ coaleſcẽdis fructibus ac deinceps percipiendis?

At iſti verbi diuini prædicationem minimè cupiunt, vt regnum hoc optimis cõcionatoribus affluat, vt populo ſalutis via indicetur, vt ouis ab ouili deerrans reducatur, non admodum curant. Viperas optãt, quæ ſanctitatis titulo coniurationis ſuæ virus hoc in regnum inſpirẽt. Proditores volunt, qui confeſſorum ſpeciẽ induti (quàm horrenda hypocriſis) religione & pietate fidelium abutantur, vt eos huic fœdo fœderi & pernicioſiſſimæ factioni ſacramento obligent, qui ſubditos ad Principum ſuorum necem & proditionem inflamment, peccatorũ indulgentiam polliceãtur, atque execrandis factis Paradiſum conſecuturos eſſe perſuadeãt: Nempe meras hoſtium noſtrorũ colonias: imò amplius hoſtile in Gallia fermentũ, quo panis noſtri maſſa tot annos acuit. Horum aliqui Regem è ſuggeſtu palam criminantur, populum concitant & furore armant cõtra Magiſtratus, laudes verò prædicant, virtutes cõmendant iſtorum Caroli Magni (ſi diis placet) ſurculorum. Is ſcilicet ardor, ea religio eſt, qua iſti animantur. Hinc ſi in Germania verſan-

versantur, Lutherani sunt. Hinc dũ placuit tumultuari, si illis data foret opera, Caluinistas extulissent, promouissentq; . De clero, de diuino officio, de grege assiduè & accuratè pascẽdo in primis solicita, qui magnum Episcopatuum, Abbatiarumq; numerum contra canones, cõtra concilium Tridentinũ obtinent, qui Episcopatuũ & Abbatiarũ syluas diuendũt, fundos dissipãt, templa ruere, domos sinunt concidere, sacras reliquias distrahunt, quod omnium pretiosissimum est, ad se rapiunt. Ibi eleemosynæ si quæ erogantur, magnopere tenues, mendici nudi, sacerdotes ipsi fame conficiuntur. Legitimi proculdubio hæredes non quidẽ Caroli Magni, sed Caroli illius Lotharingi Cardinalis, qui Metensis Episcopatus sui crucẽ magnã ac splendidissima quęq; donaria religiosissimè vẽdita in suos vsus conuertit. Clero huius regni bonorum, quæ vocant, temporalium venditionem proposuit, decimas auxit. Et quẽ, inquã, maiorem inde collectæ pecuniæ partem sibi in tam luculenti officii compensationem dono reposcere, capere non puduit.

Supereſt aũt vt de iuſtitia agamus. Eã volunt iuſti cenſores iſti in priſtinum ſtatũ reſtituere. Quis verò vnquã credat bellũ ciuile reformandæ iuſtitiæ aptum fore? Quis non ſatis perſpicit vnius anni bello legum neruos viresq; magis laxari atque iis plus authoritatis detrahi quàm pacis decennio defici reddiq; ? Malis moribus laxiores habenas remitti, quàm quæ pacis decennio rurſus adduci queant? Iſtis, exempli gratia, cùm furere deſierint, tandem fortè pœnitentibus venia, pœnæ remiſſione, abolitionibus opus erit. Tum leges dormient, Iudices cõniuebunt, qui ſuam iam recuperare authoritatem cœperant. Ita malum malo ſuperaddetur. Iamiam factionum inter ſe ſimultates atque diffidentiæ regis prudentia tollebãtur: Religionis cõtrariæ profeſſores paulatim ſolemni iuris ordine ac remoto Iuriſdictionum conflictu, ius ſe ſuum conſequi poſſe agnoſcebant. Iſti perturbatores, protectores, inquam, iudiciorũ, quæ iis videlicet poteſtatis plenitudine pollicentur, noua diffidentiæ argumenta ſuppeditant, atq; omnium ſtudia eam in rẽ con-

coniungendi facultatem adimunt. Quid amplius? De munerum iuridicorum cõmercio ſubleuãdis olim bellorum externorum ſumptibus introducto, deinde ob ciuilia continuato querelæ ſæpius auditæ ſunt. At liquet omnibus Regem à bellis ne tantillũ quidem cõquieuiſſe, quin repente id commercii tranſuerſasq; cunctas, quibus tegi poſſet, rationes extinxerit. Vtrum verò ea conſtitutio ab ipſo ſancte obſeruata ſit, omnes Curiæ, omnia Galliæ teſtificantur iudicia, quibus non ignotum eſt eum ſpontaneas nonnullas magiſtratuum abdicationes quantumuis ęquo fauore nixas, ne eæ conſtitutioni in poſterum fraudi eſſent, noluiſſe admittere. Quantam deinde prȩcipuis curiarum honoribus in demortuorum magiſtratuum locum diſtribuendis curam adhibuerit; ex iis videre eſt, qui ſuo ipſius iudicio ſponte nominati delectiq; illis hodie potiuntur; Viris integritate, dignitate, doctrina claris, quorum vita, cẽſura; doctrina inter mortales lumen eſt. Quanta etiam ſub iſtarum perturbationum ortum cupiditate flagrarit, vt pullulantes in

medio populo lites resecarentur. Indeq; nata ad populi perniciem irrita fierent artificia, non ignorant ij à quibus collatis simul de ea re consiliis eius perficienda, modum quemque vtilissimum particulatim doceri voluit. Atque id istis quorũ nonnulli huic consilio interesse iussi non modò non dubium, sed certo certius est. Omnis autem nostra calamitas in eo cernitur, quod hi pro arbitrio Senatui supremo imperitare; eiq;, vti olim, suę factionis homines velint pręficere. Quod quidẽ si deinceps obtinerent, neque munerum commerciis, neq; iustitiæ instauratione, neque vlla reformatione aut abusu plurimũ commouerentur. Quæ cùm ita sint, quis iam adeò non perspicit istorum protectiones atque protestationes nihil esse aliud quàm vanos inanesque prætextus? Veram autem causam regendi esse & regnandi ambitionem ac Reip. nostræ dissipationem, vt scilicet parte eius occupata reliquum externo hosti obueniat? Cui denique obscura esse potest eius instituti continuatio, quod isti multos ante annos animo concepere & cuius capita anno

MDLXXVI patefacta eò magis in dies eluceſcunt, quò ea propius ad effectū vergunt, nos ad periculum accedimus? Tandem eos Regem orare nō pudet, nequid aduerſi de eorū armis ominari velit: Conatus omnes ad Regis vtilitatem tendere, ſe de præſtando Regi obſequio & præterea nihil coniuraſſe. Non ſecus olim Pipinus (iſti verò Pipini genus præ ſe ferunt) creditis ſibi à Rege Chilperico copiis atque authoritate, & Zachariæ Papæ ſanctitudine abuſus fuit. Sed Rex ſatis ſapit, prudentia atque rerum experientia valet, ſua præſertim legitimorūq; omniū patriæ amantium Gallorum res agitur. Iā fabula detectis inuolucris planiſſima eſt. Pietate ſcimus damnari perfidos. Ea verò minimè perſuaderi, vt fides frangatur, vt patriæ vis inferatur, vt Rex, vt Princeps, vt Magiſtratus à ſubditis bello petātur. Huic etiam incœpto Sereniſs. Regis matrem, vt ſua authoritate adeſſe velit, inuitare non erubeſcunt. Reginam, dico, inuitant, à qua Remp. hanc toties protectam eſſe non negant, ad vniuerſam Reipub. diſſipationem & vaſtitatem, ad factā

in Regem filium coniurationem, Regiæ ſtirpis Principes inuitare vt ſuam dignitatem aliam in nationem, aliam in gentem transferant: Omnes Franciæ Pares inuitãt, vt eã cuius regia authoritate mun⁹ eorum curatores facit, Rempubl. prodant, ſummos Senatus inuitant, quos Deus eiuſmodi perturbatoribus condemnandis iudices conſtituit, vt ſuæ cõiurationi ſubſcribant; Nempe Catones vt Catilinarii fiant, ſed nec Deũ ipſum inuocare, nec eius abuti nomine, nec eum in hac cauſa ſuæ integritatis atque innocentiæ teſtem appellare verentur; Deum, inquam, ſancti ſui nominis vindicẽ, humanorũ cordium ſcrutatorem, cui adeò nullus innocens haberi poteſt, à quo res vanæ futileſque diuino ſuo obducũtur nomine, quãtò magis incœpta tam execranda? quib. ſub ſpecie pietatis, iuſtitiæ, præclariſque ordinis totus Reipub. ſtatus confunditur, vindicta, cædibus, latrociniis repletur; viduarum pupillorumq; mille millibus, qui ad ſummam redacti egeſtatẽ fame pereant ambitionis tantùm ſatiandæ cauſa aſpergitur. Hæc Deus omnia perſpicit atq;

ad

ima vſque penetrat; Deus quem rident inuocando & cuius adeò iuſtã indignationem, maledictionem & vltionem ſentient: Deus Regum cuſtos, legum tutor, optimæ viuendi diſciplinæ conſeruator, populi protector, qui iſtos franget, qui delebit, qui fulmine percutiet, opprimẽtes populum, omnem confundentes ordinem, iura euertentes, in Regem, Remque in publicam conſpirantes; ſacro denique Chriſti & Eccleſiæ ſuæ nomine zeloq; abutentes, vt egregiis eiuſmodi velati integumentis inſultent in Principem, ei ſceptrum eripiant, atque vniuerſum populum prædæ exponant.

ERGO Populi, quorum concitationi publicum bonum obtenditur, adulterinos iſtos Caroli Magni ſurculos recordemini, & ſermoni eorum interpretando commentarios legite priores. Illic animaduertetis iſtos Regis noſtri diſpendio reges eſſe velle. Inde comprehẽdetis capitaliſſimam ab iis contra Gallos, nos noſtrumq; Principem conceptam eſſe ſententiam. O Franciæ reliquiæ; inter nos hoſtes externi hoſtis ſtipendiis militan-

tes explorate. Hac acie quodã veluti cribro veri legitimiq; Galli ſuccernẽdi ſunt. De ſucceſſore agunt. Quamobrem verò audiiſtis, Omnes noſtros Principes cuperent interemptos; Vnam fidem, vnam religionem moliuntur, nimirũ vt Remp. diuidant, vt prouincias noſtras inter ſe partiantur. Hic de religione nequaquam agẽdum eſt: Regem habemus Chriſtianiſſimum, diuini numinis obſeruantiſſimum. Eorum verò ſanctitas mera eſt hypocriſis: Iſtud fœdus, quod ſanctum appellant, ficta religio eſt, in Rempub. conſpiratio eſt. Porrò de regni reformatione nihilo magis agitur: Iſti enim niſi ſua priuatim intereſſe putant, nunquã eius cauſa commouentur. Adde quòd vbi quidquam auctoritatis, vbi ſubditos quantuloſcunque vnquam adepti ſunt, nihil niſi violentiæ & tyrannidis euidentiſſimum ſpecimen exhibuerunt. Quod autem tot malis præbent remedium? Bellum ciuile, ſcilicet inſolentia militis Clerus emendabitur; Gallicæ nobilitatis ſanguini longa atrocitatum atque vltionum ſerie parcetur: Populo contribuendo, multando, depræ-

deprædando ſuccurretur; Iuſtitia omniũ bonarum legum ſilentio confirmabitur; Boni mores iis artibus, quæ omnium rerum confuſionem ſemper induxerunt, conſtituentur. Supereſt igitur, vt quod Gallorum in Gallia eſt, tandem huc cõcurrat, ſeq; aduerſus impiam iſtam coniurationem colligat. Papiſtarum & Hugonotorum nomina inter nos amplius non audiantur. Nomina, inquam, pacis ſepulta edictis: Nomina eò magis hoc in bello ſepelienda, quod id ipſum noſtris præſertim diſſidiis nititur. Obſiſtamus Galli, repugnemusq; & re & nomine Lotharingis. Poſteritati mandetur iſtorum perduellionem nos nobis conciliatos ad verum noſtrorum Regum, legumq; obſequium adduxiſſe. Hoc fœdus ineamus, fœdus in nobis natum, fœdus naturale capitis cum omnibus ſuis membris. Vt id perficiatur nõ quæſitis ſuffragiis, nõ coitionibus opus eſt. Ad cor ſponte fluit ſanguis, brachium ſine mora vulnus à capite depellit, ſimulatq; periculum imminet, ſimulatque telum præuidetur. Cuncti itaque vnanimes Regis imperium ſubea-

mus. Vnum quodq; membrum se ita cõparet, vt probè suo fungatur officio. Ecce colligati isti tanquam scopæ dissolutæ à nobis subacti in nostro conspectu inter se confusi ruunt. Ecce propriis armis, animis, conscientiis, caussa ipsa, vel potius prætextu, magis quàm Regis sui, Principis sui, Magistratus sui copiis profligantur atque delentur. Postremò sepulcri vice quod sibi pollicentur, vbiq; hæc legatur inscriptio,

Ecce primos Gallo-Lotharingos.

DE-

DECLARATIO SERENISSIMI REGIS NAVARRÆ AD CALVMNIAS ADVERSUS SE SPARSAS *in Proteſtationibus eorum, qui titulo Conſpirationis ſacræ, quam Ligam ſanctam vocant, arma in hoc regno ceperunt.*

SERENISSIMVS Rex Nauarræ viſis Proteſtationib. & declarationibus eorũ qui hodie ſtatum huius regni, titulo Conſpirationis ſacræ, perturbant; in quibus praua ſua conſilia, partim zelo Religiõis, partim publici boni ſtudio obducere nituntur, ipſum verò potiſſimùm directò aduerſarium ſibi ſtatuunt; tanquã hæreticum, relapſum, perſecutorem Eccleſiæ, perturbatorem Status, omniũ denique Catholicorum hoſtem iuratum, &c. Officii ſui eſſe cenſuit, apud omnes Chriſtianiſmi Reges, Principes, Ordines, ac Nationes; præcipuè verò apud Regem ſummum ſuum dominum, populumq; huiuſce regni cuiuſuis ordinis ac dignitatis, tetram hanc calũnię nebulã diſcutere;

Cùm constet, coniuratis religioni non esse, sub Regiæ Maiestatis prætextu, principis sui diadema affectare, vniuersumque regni statum miserrimè turbare ac miscere.

PRIMVM itaque quòd ad Religionẽ attinet, Sereniss. Nauarræ Rex profitetur coram Deo, cui intimi cordis sui recessus sunt explorati; coram Rege, cui præcipuè actiones suas probari cupit; corã omnib. Principibus ac Nationibus, quos libenter sibi testes & iudices statuit; se non in alia re quàm in fide & Religione Christiana spem salutis suæ collocare; quam quidẽ omnibus animi viribus amplectitur, veluti certissimã planeq; impeccabilem regulam, ex qua apprehendit verbum veteri & Nouo Testamento comprehensum, quod Deus in hisce tenebris Ecclesiæ suę pro lucerna qua dirigatur reliquit. Quòd credit, vnam Ecclesiam Catholicã Apostolicam, pro cuius conseruatione instaurationeq; in omni genere gratiarũ Deum quotidie orat, felicissimumq; se iudicaret, si sanguinem suum pro eius aduersus infideles tuitione profunderet.

QVÒD

QVOD credit & recipit Symbola siue compendia Fidei Christianæ ab illa ipsa Ecclesia Catholica & Apostolica instituta; vt sint notæ quibus Christiani atque Orthodoxi, ab Heterodoxis & perperam de fide sentientibus hæreticis discernerẽtur; sicut etiam libenter amplectitur vetustissima, celeberrima, legitimaq; concilia aduersus hos habita. Damnat ex animo omnem doctrinam ab eis damnatam, estq; & erit semper paratus, ob honorem quem defert Ecclesiæ, ad subeũdum eius iudicium, sententiæq; eius acquiescendum, quando illa ad legitimum sanctumq; concilium conuenerit.

QVOD ad controuersiam quæ hodie in Ecclesia agitatur, optat Sereniss. Nauarræ Rex in consideration em vocari, Quòd neque solus ipse, neque primus de abusibus in Ecclesiam inuectis sit conquestus, eorumq; reformationem petierit; ideoq; nimis durũ fore, si ob hoc verè Christianum votũ, quo Ecclesiæ repurgationem exoptat, hæreseos aut hostilitatis aduersus Ecclesiam insimuletur. Quòd sit communis à quingentis & am-

plius retrò annis, omnium Principum, & doctorum sanctorumq; virorum querimonia; Ecclesiam tanto temporis spatio multum de prima illa puritate sinceritateque amisisse; cùm ex hominibus constituta sit, qui pcul dubio semper aliquid hominis secum adferunt. Vocem hanc esse omnium conciliorum, nullo excepto, quæ à tempore modo dicto habita sunt. Quòd Ecclesia egeret Reformatione, aspirasse ac suspirasse optimos quosque quouis seculo viros; è quorum ore nunquam profectò eiusmodi sententia profecta fuisset: Eum qui ait Ecclesiam egere reformatione, pro hæretico & hoste Ecclesiæ habendum. Quòd Christianissimi Reges cùm hoc optimè intelligerēt, sæpenumero hac de causa ad officiū suū, vt conscientiæ liberationem pertinere duxerunt; si Pontificē & Principes Christianos ad conuocandum concilium generale hortarentur; iisque id negligentibus vel conniuentibus, sua ipsimet authoritate concilia indixissent, è quib. sub ipsorū Regū nomine multa laudatissima decreta ad Ecclesiæ reformationē pertinentia fluxissent.

Quod

QVOD tãdem poſt diuturnas multorum ſeculorum querimonias, cùm id iis ad quos pertinere videbatur curæ nõ eſſet; imò potius illi mundanis, vti omnib. conſtat, negotiis diſtraherentur: accidiſſe, vt multi Principes, Populi, atque Ordines cùm accuratè rationes ſibi propoſitas examinaſſent, easq; infinitorum omnis generis hominũ conſtantia in ſummis tormentis ad mortem vſque ſtabilitas cernerent: Reformationem antedictam ad concilium aliquod legitimũ detulerunt. quo quidem negato, eiuſmodi abuſibus in Eccleſia gliſcentibus teſtatò reclamaſſe, ipſosq; eis curandis ſalutares manus adhibuiſſe. vnde ortũ eſſet Schiſma, quod Sereniſs. Nauarræ rex hodie in Eccleſia deplorat: cui certè tanto temporis ſpatio remedium reperire non omnino impoſſibile fuiſſet, ſi honor Dei, & ſalus hominum tantæ nobis curæ eſſent, quantæ eſt propria gloria, & priuatum emolumentum.

QVÒD ad ſe attinet, teſtatur Sereniſs. Nauarræ rex, non ſolùm natum vigente hoc Schiſmate in Eccleſia Chriſtiana,

cuius progreſſum ac continuationem iis imputandam eſſe cenſet, qui rationes cõciliandæ Eccleſiæ, pro eo ac debebant, nõ quæſiuerunt: verùm etiam educatum in Gallia vigente exercitio vtriusq; Religionis; quod quidem Rex ipſe in conuentu Ordinum generalium ſui regni permiſerat, & multis deinceps Edictis confirmauit.

QVÒD iam inde à prima pueritia formatus inſtitutusq; in hac fide fuerit; Vigere in doctrina Eccleſiæ Romanæ abuſus qui egeant reformatione. quam quidem animi perſuaſionem partim multorum doctorum virorũ vſu, partim lectione Scripturæ ſacræ ſtabiliuit. Quod in animo ſuo credit, & ore liberè profitetur, perſuaſiſſimum ſibi eſſe, veritatem à ſuis partibus ſtare. Hanc etiam cauſam fuiſſe, cur quamplurima pericula & quidem illa extrema adire maluerit, potius quàm ab ea fide deſciſcere; imò verò quòd hoc ipſo tempore, non exiguo cum animi ſui dolore, neq; ipſe officia ſua ita prolixè præbare, neque ſummi Principis ſui beneuolentia adeo frui potuerit, vt præ dubio

bio potuisset, si illæsa animi conscientia idem quod ipse institutum in religione sequi amplectique potuisset. Nihilominus tamen vt omnibus re ipsa declaret, se ad hoc quod egit non obstinatione voluntatis, sed constantia; non ambitione, sed solo salutis suæ desiderio adductum: Regē obnixè orat, vt liberum legitimumq; cōcilium indici iubeat, cuius quidem spes semper regiis Edictis est facta, ipseq; Rex Nauarræ statutum planè cum animo suo deliberatumq; habet, ab eo doceri, fidēq; suam in rebus de Religione controuersis ad eius decreta componere.

NEQVE verò morari oportet concilium Tridentinum. Quantumuis enim Rex Carolus nonus defunctus eius progressum multo tempore vrsisset, ac tandē à Pontifice Pio 1111 obtinuisset, eoq; publicato legati regii eò missi essent cùm Commentariis siue institutionib. Christianis & Catholicis, consentaneis cùm decretis Ecclesiæ Romanæ, quæ Sorbona ipsa eiusque doctores ad illud ipsum concilium vnà cum legatis ante-dictis missi approbarant: summa tamen diligentia

per octo & amplius menſes apud Cardinales, Legatos, & Præſides dicti concilii præſtita, nihil commentariis formulisq; ſuis conſentaneum impetrare potuerũt, ſed ne id quidem vt ordo Eccleſiaſticus ad eorum præſcriptum reformaretur. Cuius rei cùm monitus eſſet Rex, neque ignoraret quantum mali inde oriri poſſet, legatis ſuis imperauit, vt concilio illi teſtatò reclamarent; peractaq; Proteſtatione domum redirent; quod & factum eſt. Quantumcunque verò deinceps poſtularint vrſerintq; Pontifex & Cardinales, ipſeq; Cardinalis Lotharingius vt ad concilium illud rediretur, neq; inde antequam peractum eſſet diſcederetur; nũquam tamen aſſentiri voluerunt. adeò vt prædictum concilium abſque ipſis continuatum, peractum decretumq; fuerit, ac ne ab ipſis quidem ſubſcriptũ, præter morem omnium ſeculorum. Ex quo etiam euenit, vt nullis quantumuis acribus atque aſſiduis poſtulationibus impetrari potuerit, vt dictum concilium in ſuprema Pariſiẽſi curia admitteretur & publicaretur, imò verò ſuprema Curia, eiusq; con-

conuocatæ classes acriter semper restiterunt,& quidem etiã anno MDLXXII. post sactum S. Bartholomæi diem, cùm tempus ipsum postulationi illi fauere videretur.

CENSET itaq; Serenissimus Nauarræ Rex,se à nemine qui sani iudicii sit pro hæretico vel pertinace haberi posse,cum adhuc controuersia sit indecisa, ipseq; se concilio submittat; sed nec pro peruicace litigatore & iniusto, qui Curiæ supremæ decretum exspectet: quantuncunq; cauilletur aduocatus alterius partis;vt neque pro schismatico aut contumace; cũ omnem obedientiam honoremq; cœtui Ecclesiastico deferat,seq; ei sistere, fideiq; suæ rationem reddere, & ab eo discere, ac sentẽtiam mutare in melius,vbi rectius quid fuerit edoctus,sit paratus. E cõtrario verò, queritur quòd in hunc vsque diem multis iam annis omnes illos zélatores non ad se instruendum,sed destruendum conspirasse senserit. queritur de lite intentata,cuius initium fuerit executio; queritur de admonitione, cuius procœmiũ fuerit Anathema; nulla planè

iuris forma obſeruata. Proteſtans coram omnibus Principibus atq; ordinibus; ac potiſſimum coram Rege, ſummo ſuo domino, cuius iuſtitiam implorat; & corã Statu huius Regni, cui actiones ſuas ob oculos poſiturus eſt aduerſus auctores & fautores huius Conſpirationis, de tam aperta violentia, præcipiti iudicandi libidine, atque iniuſtitia.

ASSERET præterea Sereniſs. Rex Nauarræ æquè parum in ſe quadrare appellationem, criminationemq; relapſi; cuius ſolius cauſa (vt maximè concilio alicui acquieſcens ſententiam mutaret) eũ ſucceſſione in regnum ſpoliare contendũt. quod quidem vtinam illi perinde parum atque ipſe affectarent. Ex quo etiam vnicuique cogitãdum relinquit, qua charitate ducti negotium hoc tractẽt; & quod illorum ſit conſilium, quis ſcopus, cum (quantum in ipſis eſt) præcidant omne eius deſiderium, quo ſe in cõcilio aliquo doceri optat, omiſſa diſceptatiõe de ſumma cõtrouerſiæ quæ & canonibus & exemplis ſubuerti poteſt. Relapſos ſuo loquendi more vocãt eos qui cum fuerint hæretici,

hæretici, abiurata ſemel hæreſi, denuò in eam recidunt. Cum itaque ex veteribus Canonibus (vt ſupra oſtenſum eſt) Sereniſs. Nauarræ rex hæreticus non fuerit; manifeſtum quoque eſt Relapſum cenſeri non poſſe. Addit etiam hoc, Quod vt maximè fuiſſet aut eſſet hæreticus, æquè parum relapſus dici poſſet, cum nunquã ab illa, quam ei impingunt, hæreſi cõuerſus fuerit. imò verò cùm nemini vnquã in mentem venerit operam dare, rationesq; excogitare quibus conciliari conuertíque poſſet. Quin potius nihil aliud zelatoribus illis, (vt ex effectis eorum & conatibus liquet) propoſitũ fuit, quam vt eum ſubuerterent atque peſſundarent.

NEQVE eſt quod hoc loco obiiciant, quòd Sereniſſimus Nauarræ rex poſt ſacrum illum S. Bartholom. diem ad Põtificem miſerit, & Miſſæ interfuerit. Vt de ætate eius nihil dicatur: nemo eſt qui neſciat quod genus cõuerſionis hoc fuerit, & quas cauſas iuſtiſſimi metus habuerit. Longior autem refutatio planè eſſet friuola. De hoc certè conſtat, Quod ſi actiones noſtræ ex ſententia omnium Legũ

irritæ nullæq; habentur, quas aut metus aut vis extorserit: certissimũ esse, in nulla vnquam actione minus fuisse voluntatis; in nulla, plus violentiæ. De hoc etiam constat, eũ simulatq; volũtatis suæ liberam potestatem recuperauit; cuiusmodi illa esset, publica professiõe declarasse; & quidem in cœtu Catholicorum (qui ipsum comitabantur, eumq; in sua potestate habere videbantur) citra vllam dissimulationem aut tergiuersationem. Ex quo manifestè apparet cor suũ ab omni hypocrisi remotissimum fuisse.

ROGAT obnixè Serenis. Nauarræ rex, regem dominum suum, boni consulat, si etiam quàm modestissimè respondeat criminationi qua vt persecutor Ecclesiæ Catholicæ traducitur. Qua in re sistit conscientias pręcipuorum suorum aduersatiorum, vt coram tribunali Dei respondeant, an hic titulus ei vllo pacto conuenire possit. Vnusquisque hîc cũ animo suo perpendat, Bella ciuilia in teneram adhuc Regis Nauarræ ætatem incidisse: & an vlla probabilitas appareat, eũ pro libidine bellum persequẽdis Catholicis

licis ſuſcepiſſe, quorum multitudinem, authoritatem & potentiam in hoc regno omnes norunt extra omne planè perſecutionis periculum eſſe poſitam; quippe qui vel ſolo Regis nomine tecti facilè in tuto degebant, quod ad ipſum & omnia quæ ab ipſo dependent attinet, nulli violentiæ, machinationi, iniuriæq; obnoxii. Et profecto frequentes fuerunt ſuperioribus annis per vniuerſam Galliam de atrocitate perſecutionum ſermones; ceterùm nemo eſt qui non eas reſpectu Euãgelicorum, Paſſiuè; reſpectu verò aliorũ, Actiuè ſit interpretatus. adeò vt ſi quis id nominis aliter vſurpet, is adeo impropriè ſit locuturus, vt à nemine intelligatur.

VOCARAT ad ſe Rex Carolus regem Nauarræ vt ſororis ſuæ matrimonio eum honeſtaret: Venit is, cum eius religionis profeſſione in qua natus educatusq; erat. Quid inde ſecutum ſit, præſtat obliuione præteriri, quàm commemorari. Illinc vt euaſit, in ſuas ditiones ſe recepit; cumq; pax cum duce Andegauenſe cõponeretur, nullum pro ſe verbum interpoſuit, neque vllus planè ibi articulus ad

Strages piorũ intelligit Lutetiæ editã 24. Auguſti 1572.

ſe pertinens lectus eſt; quantumuis plus cauſę proculdubio quam quiuis alius haberet, vel ad reuocandas ad animū præteritas iniurias, vel ad quaſi compenſationem damnorum acceptorum petendā. Nolens verò Sereniſſimus Nauarræ rex vel vnius diei mora publicam regni tranquillitatem, populiq; alleuationem ſua de cauſa retardari. Conſtat tamen, in eius poteſtate, ſi libuiſſet, fuiſſe equeſtres Germanorum copias ad ſe pellicere, quorum animi aſſiduè nutabant, quòd ſtipendia iis à rege non perſoluerentur, vt ex articulis pacis, Pariſios verſus Martem mouerent.

Econtrario, præcipua huius conſpirationis capita, iam inde ab eo tēpore, abutentia ipſius bonitate, conſpirationē hāc, quam vocant ſacram, excogitarunt, aduerſus Edictum Regis recèns promulgatum, in qua conceptis verbis iurabant in vniuerſalem Euangelicorum exterminationem, citra vllam exceptionem acceptionémve perſonarum, nullo habito reſpectu cognationis, affinitatis, proximitatis, conſanguinitatis, fraternitatis. Qui ſe-

ſe

se iis adiunxerant, cum non intelligerent quod in re erat, pedem retulerunt simulatq; id intellexerunt. Et quod ad ipsum speciatim attinet, iam tũ detecta fuerunt aduocati Dauidis cõmentaria, quorum omnium effectus hodie se exerunt, quibus decernunt Guisiani mortem & ipsi & principi consobrino suo & toto eorum stirpi: vt ita sibi faciliorem viam sterneret (sicut in iis expresse continetur) ad inuasionem huius regni. Iudicent hic homines quis tũ fuerit agens, quis patiens: quis persecutor, quis persecutus.

Ex hoc fomite cepit denuò accendi bellũ ciuile anni MDLXXVII, cum illi conuentum Blæsiacum ad executionem consiliorum suorum induxissent. cui quidem, præter naturam fuisset, si Sereniss. Nauarræ rex, aut qui eiusdem cum eo erant professionis atque instituti, non pro viribus restitissent, (Agebatur enim de ipsius capite & vita; agebatur de ipsius conscientia ac salute; agebatur, quemadmodum hodiernus euentus docet, de regno, eiusq; statu. malum quod Rex non agnorat nisi per transennam, cùm id de

iis imaginari non posset qui quidquid habent ei acceptum debent, Sereniss. verò Nauarræ Rex illud animaduerterat.) Equidem seipsum prodidisset, eorumque libidini tradidisset, nisi eorum conatibus obuiam iuisset.

INTEREA tametsi atroces illæ Coniurationis clausulæ idoneæ satis fuissent ad patientiam suam repentè in furorem conuertendum, & lenitatem ac benignitatem, quæ genti Borboniæ est naturalis ac genuina, ad vindictam prouocandũ: quantumuis etiam videret vndequaque confluentes ad se religiosos atrocitate Edictorum pressos, aut redactos ad optionem excedendi regno, vel abiurandæ religionis: noluit tamen Sereniss. Nauarræ Rex in iis oppidis quæ in sua potestate erant idem in Catholicos statuere. sed ne quidem aduersus monachos & sacrificos, qui reuera poterãt ei esse suspecti, executionibusq; suis parum fauere.

E contrario, optimè norunt Agenses (citat verò hoc exemplum quòd eo loco assiduè commoratus fuerit, quodq; hæc ciuitas Episcopalis sit alicuius nominis) Catho-

Catholicorum neque capitibus, neque fortunis quicquam damni illatum, neq; religionis ipſorum exercitium interruptũ fuiſſe; ſacrificos vacaſſe cultui ſolito; monachos liberè concionatos, etiam in flagrantiſſimo tumultuum ardore; ſatis ſibi fuiſſe ſi Euãgelici, euitandi tumultus cauſa, conciones ſacras intra priuatos parietes precarioque haberent. Ad ſubuentionem ſumtuum, quos ſui ipſius defenſio ſecum trahebat, nihil aliud quàm decimas accepit, quas Rex ab Ordine Eccleſiaſticorum perciperc conſueuerat, cũ tamen patrimoniis ſuis vndequaq; ſpoliatus eſſet. cuius rei teſtis eſſe potuiſſet Dux Montpenſerius, princeps (vti omnibus liquet) religioni Romanæ addictiſſimus; vt etiam teſtificarentur Mareſchallus de Biron, Archiepiſcopus Viennenſis, D. Villeroy Secretarius ſtatus regis, & complures alii teſtes oculati.

SIMVLATQVE verò conceſſa fuit libertas conſcientiæ, & quidem illa non ſine multis præſcriptionib. reſpectu prioris Edicti, ſtatim citra vllam moram paratus erat ad ponenda arma, in quibus

perſeuerare poterat, vt Rex optimè nouit; vtpote pluribus & copiis, & adminiculis ad bellum gerendum neceſſàriis inſtructus, ob inſignia auxilia quæ à principibus eiuſdem cum eo religionis procurarat; adeò vt ingens exercitus externi militis in procinctu eſſet ad pedem huic regno inferendum. Ceterùm ipſe feliciorem ſe exitu belli hoc nomine iudicabat, ne miſerum populum eius protractione grauioribus ærumnis conficeret; multoque antiquius habuit ſuam ipſius conditionem deteriorem facere, modò imminens malum à populi ceruicibus auerteret; quàm cum illius detrimento ſuã rem facere meliorem.

ROGAT itaque Sereniſs. Nauarræ rex, vt liberè vnuſquiſque pronuntiet an vlla ex parte actionibus ſuis meritus ſit appellationem quam ei impingunt Perſecutoris; ſcilicet quod nulla ratione in animũ ſuum inducere potuit vt pateretur coniuratos barbaras ſuas perſecutiões & cruenta conſilia perpetrare; quæ prima quidem fronte in ipſum, re autem & effectu in Regem eiuſq; regnum moliebantur.

IIS

IIS verò in ditionibus in quibus Sereniſs Nauarræ Rex, ſummam diuina clementia poteſtatem obtinebat; cenſet ſe æquè parum illi criminationi eſſe obnoxium, apud eos quibus & natura rerum & tenor omnium ſuarum actionum, ſunt cognita. Et certè in tota ditione quæ ei ex regno Nauarræo eſt reliqua, cùm tempore ſui aduentus exercitium religionis Catholicæ Romanæ in ea offendiſſet, nihil innouauit. adeò vt cultus illius religionis ibi paſſim vigeat: exercitium verò religionis reformatæ, duobus tantùm in locis.

QVANTVM ad ditionem Bearnenſem attinet, quæ non ita eſt ampla, Regina eius mater, cum in generali quodam cõuentu Ordinum, Religionem iam dictam cui addicta erat ſtabiliſſet, neq; vllæ eam ob cauſam querimoniæ ad Ordines eſſent delatæ: per multos deinceps annos ſtatus ille retentus eſt; quemadmodum ipſe liberè declarauit. cùm ita ſemper ſecum ſtatuerit, Prudentis ac cõſulti principis eſſe, nullam in ſtatu regni ſui mutationem, niſi neceſſitate aut euidente vti-

litate vrgente, inuehere. quinetiã vbi aut vtilitas aut neceſſitas id ſuadet, mutationem eodẽ, quo inuecta Conſtitutio fuit, modo peragendam. Cùm itaque cerneret quòd poſt ſacrũ S. Bartholomæi diẽ, ad cuius vim in negotio religionis nonnihil nutaſſet, & in ditionem ſuam Bearnenſem gubernatorem ac Vicarium generalem miſiſſet Dominũ de Mieuſſent, quem omnes norũt eſſe Catholicum, cũ expreſſis mãdatis redintegrandæ Religionis Catholicæ Romanæ: quantumuis res Euangelicorũ in Gallia eſſent deploratæ; quantumuis etiam ipſemet Romanam religionem præ ſe ferret (quod quidem exemplo aliis eſſe poterat) quantacunque etiam eſſet auctoritas gubernatoris Catholici Romani expreſsè à ſe miſſi: ſtatutum tamen omnibus fuit in reformata religione perſiſtere, formamq; Reipub. ac Status ſui retinere, neque vllam eius immutationem admittere. Cogitabat itaq; Sereniſs. Nauarræ Rex (iudicet verò vnuſquiſque an meritò) eam eſſe firmã certoq; deliberatam Ordinibus ſuis ſententiam; quippe cùm neceſſitas violenta

&

& quidem talis quæ præscribebat, legēque dabat aliis legibus, nullo eos pacto a proposito dimouere potuisset. vt etiā reuera in omnibus cōuentibus annuis Ordinum ditionis suæ Bearnensis nemo vnquam repertus est qui mutationem hanc postularit; tametsi tantam ibi esse Comitiorum libertatem omnes norint, vt de quantumuis exili onere quo à principe grauantur querimonias suas proponant, eiusq; alleuationē postulent. Ex quo apparet, nihil aliud hoc esse, quod nunc in medium adducitur quam machinationem extrinsecus ab illis factam, qui inuident tranquillitati eius subditorum; nihilque minus esse quam internum eorūdem desiderium. Neque verò ideo destitit Serenis. Nauarræ Rex curare vt annuæ pensiones prælatis aliisq; Ecclesiasticis suæ ditionis soluerentur. (cuius rei nullos alios testes citat quàm ipsos-met) & quidem plerunque de suo ærario. vt norunt Episcopi Acquensis, Oleronensis, & alii. Quod amplius est, ipse sua spōte vt satisfaceret subditis suis in religione Catholica Romana persistentibus, Edi-

ctis Reginæ matris ſuæ moderationẽ adhibuit, quæ nihil aliud erant quàm leues mulctæ pecuniariæ. tantùm abeſt vt vnquam ſæuitum fuerit in Catholicos proſcriptionibus, punitionibus corporalibus, cædibus, vſtulationibus, tormentis, inquiſitione, qualia ſuaſerunt, machinati ſunt, & inuexerunt qui hodie ſeſe protectores religionis Catholicæ Romanæ vocant, aduerſus eos qui contrariam religionem profitentur. Cuius rei teſtes ſint Catholici Bearnenſes, qui ſumma ibi in pace tranquillitateq; degunt; quorum etiam pleriq; funguntur ſplendidis muneribus vel in ipſa ditione, vel circa ipſum Sereniſs. Regem Nauarræ; imò verò præcipua munia obeunt in ſuis cuſtodiis, & præfecturas in ſplendidioribus ſuis domibus. quod certè veriſimile non eſt ipſum facturum, ſi vel malè de iis eſſet meritus, vel in animo ſuo malè iis vellet, latensque odium gereret.

PORRO cũ ſupra ſatis reſponſum ſit criminationi qua eum iuratum Catholicorum hoſtem vocant: Sereniſs. Nauarræ Rex vniuerſo orbi terrarum animum

ſuum

ſuum aperire cupiens, non grauatè ſtudia actionesq; ſuas omnibus explicabit. Declarat itaque Sereniſs. Nauarræ Rex cognoſcere te & credere, imò credidiſſe & cognouiſſe perpetuò, vbi integritas cõſcientiæ adeſt, diuerſitatem religionis nihil impedire quò minus Princeps aliquis indiſcriminatim à ſubditis ſuis fidelia officia percipiat, & ſubditi viciſſim officia quæ debent, ſiue ſuperioribus ſiue principibus ſuis præſtent: cum planum atq; euidens ſit vtramq; religionem ex æquo cõmendare ex verbo Dei officium ſubditi erga principem, & inferioris erga ſuperiorem. Ideoq; Sereniſſimus Nauarræ Rex æquè fidelia ſemper ab his quàm ab illis officia expectauit: vt etiam reuera in diſtributione munerum domeſticorum, omnibus notum eſt eum ſemper nullo diſcrimine ea contuliſſe Scit etiam Sereniſs. Nauarræ Rex ſe optimè amari & coli a nobilibus Catholicis, & aliis cuiuſcũque generis quos muneribus adminiſtrãdis adhibuit, quemadmodum etiam ipſi libenter agnoſcent ſe viciſſim ei citra vllam religionis exceptionem caros fuiſſe,

seque pro ratione suarum facultatũ Catholicis bona atque honores æquè liberaliter imò liberalius, etiam tempore belli, impartitum esse, quàm iis qui eiusdem secum erant professionis. Norunt etiam etiam Nobiles, omnesq; alii Catholici, quòd vigentibus tumultibus, quantũ potuit eorum bonis domibusq; pepercerit, neque passus sit bellicam seueritatem in eos exerceri, ac ne quidẽ in subditos suos qui aduersus ipsum arma sumpserant, quiq; ad subuertenda & demolienda sua ædificia adiutores fuerant, qui ipsi confecto bello, cùm se ad ipsum contulissent, pergrati ei fuerunt, neque apud illos vnquam aut verbis aut vultu vllã animi indignationem præ se tulit: tantum abest vt cum multæ suppetant dominis in subditos ad vltionem viæ, vllam omnino directè aut obliquè sit ingressus, aut vllam exulcerati ac de vindictæ cogitantis animi notam ediderit. quemadmodum etiam de actionibus suis Serenis. Nauarræ Rex spõdere potest, quòd Catholici quotquot ipsum accesserunt lætis semper animis discesserint, neq; quicquam animaduerterint

terint ex quo aliud colligi posset quàm naturale quoddam desiderium amplexandi omnes clientes & subditos regis cuiuscunque religionis essent; vt vicissim ipsi eandem quod ad se attinet beneuolentiam spondent, quã semper erga suos declarassent.

HAS actiones in quibus ab initio Serenis. Nauarræ Rex in hunc vsque diem sibi constat, putat satis põderis habere ad eleuãdas aduersariorum suorũ in se sparsas calumnias. At nunc alia machina eũ petunt; & Serenis. Nauarræ Regem legatos in Angliam & Germaniam misisse aiunt, conflandæ associationi quæ ad perniciem subuersionemq; Catholicorum pertineat. præcipere eum animo obitum Regis. quo sublato, ipse ad innouandam religionem se cõparet, &c. in animo habere facultates Ecclesiasticorum inuadere; nobilium qui institutum religionẽque eius non sectarentur bona in fiscum redigere. In hanc porrò sententiam passim sparserunt, imò verò ex suggestu in publicis concionibus recitari curarunt Associationem quandam titulo Cõcor-

dati dat. anno MDLXXXIIII, XIIII Decemb. natam è conuentu quem dicunt, poſtulante Sereniſs. Rege Nauarræ, habitum Magdeburgi. & quod ſimiliter in conuentu habito Montalbani ꝓmiſiſſet ac iuraſſet, ſe vbi regem mori cõtigiſſet, religionem Catholicam Romanam aboliturum, & bonis ſpoliaturum, eiusq; ſectatores omnibus muneribus publicis honoribusq; priuaturum. In quo euidenter videre licet, quo pacto omnis calumnia ſe ipſam prodat atque refutet.

PROTESTATVR itaque primũ Sereniſs. Nauarræ Rex coram Deo, & ex conſcientia ſua, ſe toto pectore optare ac precari diuturnam felicemq; vitam Regi ſummo ſuo domino, neque vnquam ſibi in mentem veniſſe machinationem vllam vel ad obitum vel poſt obitum eius moliri: quæ quidem cenſeret non ſolùm crimina læſæ Maieſtatis, cum aliunde ꝓficiſci nõ poſſint quàm ab execrabili cupiditate mortis ſui Principis; quam quidem cupiditatẽ breuis certusq; effectus ſequeretur ſi adeſſet facultas: Verumetiã eſſet crimen aduerſus naturam & ſenſum com-

communem. cùm rex diuina benignitate iam in ipso vigore ætatis sit positus & valetudine optimè constituta, adeoq; parum inter vtriusque eorum ætatem interſit, vt ridiculum futurum sit, ob duorũ aut circiter annorum discrimen, tantam viuendi prærogatiuam alterũ alteri præripere. Tantùm abest (vt quod Capita Conspirationis sacræ fecerunt) vnquam ipsi in mentem venerit, Regem propinquæ mortis iudicio damnare, præuidendo quæ ipsius obitum sunt consecutura, triginta aut quadraginta minimũ annis, vti sperat, antequam opus sit; & prætextu consulendi negotiis Regni, miserrimè interea illud perturbare ac miscere. Tantùm etiam abest vt publica Declaratione pronuntiarit ac præiudicarit infœcũdos Regem simul & Reginam eius coniugẽ, in flore & vigore ætatis vtriusque; quod ab illis factitatum, exemplo profectò per totum Christianum orbem inusitato, inaudito: cum Ordines Angliæ nunquam à Regina Angliæ adhuc innupta postulare, id in animum induxerint, ipsius prudentiæ confisi, vtpote quæ eos per omnẽ

vitam ſuam in pace gubernauit, eam poſteris ſuis hæreditario ſit relictura. denique falſum eſt, quod à rege ſummo ſuo domino poſtularit vt ipſum talẽ declararet qualis naturaliter legitimeq; eſt, aut teſtimonio aliquo inſigni id notaret per amplificationẽ vel prærogatiuã honoris; quod certe illimet coniurati affectarunt, qui aduerſus eum concitarũt Illuſtriſs. Cardinalem Borbonium, Principem annos natum LXVI; principem extra ſpem & matrimonii, & prolis quæ ei ſit hęres; perinde ac ſi regi vnus tantùm aut duo anni vitæ eſſent reliqui ad ſobolem procreandam, perinde etiam ac ſi ex vieto ſtipite cœlibatus, ꝓpago potius exſpectãda eſſet, quàm ex vegeto floridoq; regis matrimonio. Cùm verò Sereniſs. Nauarræ Regem latere non poſſint cõſilia Cõſpiratorum quæ à multo tempore aduerſum ſe agitabant, machinationes quas in vrbibus ſtruebant, cõſpirationes quas in Italia & Hiſpania moliebantur, vt ſi Rex vitam cum morte commutaret ipſum iure ſucceſſionis in hoc regnũ excluderent; ſperat tamen Deum adeo diu-

turnam

turnam regi vitam largiturũ, vt nullam ipſe conteſtandi anſam ſit habiturus. Certò etiam hoc ſibi perſuadet, omnes eorũ coitiones & ambitiones nihil obfuturas quò minùs id quod ius & natura ei aliunde adiicere voluerint conſequatur.

Agnoſcit liberè Sereniſs. Nauarræ Rex, ſe à multo tempore perſenſiſſe machinationes conſpiratorum aduerſus Regem eiusq; regnum; obnixeq; orat Regem vt in memoriam reuocet commonitiones ſuas; cùm iam inde ab anno MDLXXVI, ei per nobilem quẽdam aduerſaria quędam tranſmiſit, quorum effectus hodie ſigillatim omnes ſeſe prodũt, à quo tempore titulo Aſſociationis ſiue Conſpirationis ſacræ niti cœperunt. Quod ſtatim poſt confectam pacem anni MD LXXVII, hanc machinam erigi ſenſiſſet per molitiones quas agitabant inter Status diuerſis in prouinciis ſuſcitatos, peſſimo ergo regem officio; quippe cùm etiam Euangelicos pertrahere conarentur, & Illuſtriſs. Principem Caſimirum Comitem Palatinum ad Rhenum ſolicitarent: qui cum animaduerteret quónam eorũ conatus

tenderent (vt ipſemet nunquam diffitebitur) quodq; regnum affectarent: ob honorem amicitiamq; qua maiores eius ab omni æuo reges Galliæ erant proſecuti, vlteriorem ea de re tractationē detrectaſſet. Quod deinceps, vt eorum negotia pedetentim promouebantur, machinatiōes quas in Italia & Hiſpania ſtruebāt, detexiſſet, pecuniam quam inde accipiebant; articulos ab eis propoſitos; & quid ad eos reſponſi accepiſſent. quibus quidem rebus rex, quod tantam de aliis ingratitudinem atque perfidiam animo ſuo concipere non poſſet, fidem propemodum derogaſſet, quarum tamen Sereniſs. Nauarræ Rex (vtpote cui malum penitus erat cognitum) eruptionem de die in diem expectabat. Quod meminiſſet captum & capitali ſupplicio affectum quendam nomine Salzedo, qui teſtatus eſſet magnam partem eorum quæ hodie cernuntur; quæ quidem illi tum dabant operam vt ſuis technis obſcurarent; veritas tamen omnium fidelium ſubditorum pectoribus inſediſſet. Quod Dux Andegauenſis non temere eius rei regem monuiſſet.

nuisset. Quòd Rex etiam, nisi ille atrocibus minimeq; vulgaribus criminibus fuisset obnoxius, nequaquã missis duob. ex præcipuis Consiliariis regni, eum è Belgio ad se adduci curasset. neque ipse quæstioni, percontationibus, repetitionibus, &c. interesse voluisset. vnde secutum est vt decreto summæ Curiæ Parisiensis quadrigis discerptus dilaceratusq; fuerit, vt regis regniq; proditor. Quod ex Conceptionibus eorum scripto comprehensis, & phratriis, quas de integro in maxima parte præcipuarum regni vrbium instaurabant, satis constabat de eorum prętextu; qui scilicet futurus erat, exterminare religionem quam ipse profitebatur, imò verò ipsum-met speciatim, quantũ in illis situ esset; adeo vt primus tonitrui ictus quem emisissent, ipsius caput petiturus fuisset, nisi Rex interea scopum ad quem suis machinationibus collimabant cognouisset. Eam porro causam fuisse, quòd, cum cerneret regem nulla alia ratione imminenti malo obuiam iuisse, ꝓspiceretque prætextum quem arriperent fore, Extirpationem omniũ qui religionẽ

reformarum profiterentur, in animũ ſuũ induxit vt maturè rebus ſuis conſuleret. eoq; nomine vertẽte anno MDLXXXIII, legatum ad Reginam Angliæ, Regẽ Daniæ, Principes Electores Imperii, ducem Brunſuicẽſem, Landgrauium Heſſiæ, aliosq; principes & ſtatus, miſit Dominũ Segurium Pardillanum: Primùm vt eos hortaretur, ad quęrendas rationes cõponendarum controuerſiarum quæ adhuc in Eccleſiis reformatis erant reliquæ; quibus alii abutebantur in communem eorum perniciem; Secundò, ad inſtaurandam ſtabiliendamq; firmam cum eis amicitiam; nihil tamen amplius ab eis poſtulans. Tertiò, vt iuſtam pecuniæ ſummam in Germania deponeret; è qua, vbi neceſſitas ita poſtularet, iuſta ſibi aduerſus hoſtes ſuo auxilia ſuppeterẽt. Omnes modò enumerati reges, principes & ſtatus quibuſcum arctum cum regno Galliarum fœdus intercedebat, ad quos Rex legatos ſuos miſerat, & Dominus Segurius in mandatis habebat cum iis conſilia communicare, & communicauit non ſemel, teſtes vt eſſent rogauit ſuorũ factorum

rum & dictorum, propositionum, negotiationum & conclusionum. quemadmodum etiam post reditum suum obnixissimè regem orauit vel legatis suis mãdata inquirendi in totam legationem suã daret; certò sibi persuadens, quod quò acutius in eam introspicerent eò clarius agnoscerent animũ verè Francum, sincerum studium, & meram erga regem eiusq; regnum fidelitatem.

ROGA T itaq; Sereniss. Nauarræ Rex omnes ante nominatos Serenissimos Illustrissimosque reges & principes, vt sua quisque manu testificetur Regi & regno huic, vniuersoq; orbi Christiano, an vnquam ipsius nomine eis exhibitæ fuerint literæ aut libelli, vel sermo vllus habitus contra dignitatem regiam, & publicum regni sui bonum, aut contra officium humillimi obseruantissimiq; clientis & subditi; An vnquam cum eis actũ sit de bello regi inferendo, de nouandis tumultibus, aut de opprimendis Catholicis: An quid vnquam vel in obitum regis, vel post obitum directè vel indirectè conceptum fuerit. Rogat verò Sereniss. Rex Nauar-

ræ regem, vt ei liceat ad principes ſupradictos hanc ſuam declarationem aduerſus calumnias iam commemoratas mittere; vtq; ipſi legati regii pro ſe quiſque, omnibus principibus Chriſtianis amicis & confœderatis huic regno, eam exhiberi curent; vt ſi tale quid machinatus eſt, cum ipſum videant proteſtari contrariũ, ab eis habeatur pro principe ficto, fluxæ fidei, vano & quod reliquum eſt indigno ipſorum amicitia, quam ſupradicti cupiunt reddere ſuſpectam; quam verò ipſe liberè teſtatur, ſe ſtudioſe tueri cupere, quemadmodum meritò eam à ſe expetitam cenſet.

Quod ad Aſſociationem, cui titulum indunt Concordati, attinet, fingunt eam initã xiiii Decẽb. anni mdlxxxiiii; eiq; interfuiſſe Dominum Segurium, vt legatum Regis Nauarræ; qui quidem ex Germania diſceſſerat, atq; inde in Belgiũ, illinc verò in Angliam, vbi menſes duos & amplius hæſit: neq; obſtante omni eo tempore, denuò nauem conſcenderat vt in Galliam rediret, ante xiiii Decemb. diem. In eam verò Aſſociationem inducunt

cunt legatos Electoris Palatini,& Principis Aurãgiæ, quorum alter annum antè, diem ſuum obierat, nullo relicto hærede quàm minorenni, cuius loco dum iuſta ætas accedat, Dux Caſimirus Electoratũ gubernat; alter verò trucidatus fuerat quatuor mẽſes antè, per Ieſuitam quendam ſubornatum ab ipſorum ſimilibus. vterq; tamen ſe obſtringit, ad conueniẽdum Baſileæ in proximũ Maium ad controuerſias religionis componendas. Addunt præterea, regem Nauarræ promiſiſſe ad XVIII Aprilis tum proximi diẽ arma ſe ſumpturũ, hoc eſt, quòd eo ipſo tempore ſtatutum reuera eis erat eadem capere. omne tamẽ odium in hunc principẽ deriuare contendunt, qui vndequaque cinctus eorum machinationibus, pedem non mouet. Initam præterea volũt aſſociationẽ Magdeburgi, cuius epiſcopatus adminiſtratio cõmiſſa eſt primogenito illuſtriſſimi Electoris Brandeburgici, cum nec patris nec filii in hac Aſſociatione quam Concordatum vocant, meminerint. Eſtq; omnino hæc Aſſociatio commentitia. neq; enim vel hoc, vel

alio vllo in loco habitam eam fuiſſe probari poterit. Tituli præterea & gradus, ita malè ſunt obſeruati, taxationes etiã & collationes vel pecuniatiæ vel capitum adeo inæquali ꝓportione diſtributæ, tot in ea abſurditates, tot chimeræ, vt niſi niæ impudentiæ ſit, adeo craſſum fucũ Galliæ obtrudere, quin potius rem profanã, & circumforanei agyrtæ tabernã, quàm concionatoris ſuggeſtui conuenientiorẽ; niſi fortè Ieſuitæ alicuius ſit, adeo male conſutis fabulis miſerę plebis aures farcire ad eorum nugas attractas. Nam apud teretes purgatoresq; aures, quid ꝓficiãt?

CONVENTVS Montalbanenſis non meretur reprehenſionẽ, reſpectu ſui: neque fidem reſpectu eius quod conſpiratores iſti de eo publicarunt. veritas rei hęc eſt. Rex, cùm anno MDLXXVII pacem componeret, eo animo vt præcisè accurateq; executioni mandaretur, octo oppida ad tempus ſex annorũ in Regis Nauarræ & religioſorum poteſtate ac cuſtodia reliquit, interea dũ exacerbatio animorum mutuaq; diffidẽtia in hoc regno ſopiretur atq; extingueretur. Quod quidem

dem regis consilium tametsi rectum esset, complures quibus nihil erat antiquius quàm turbas reuocare, qui postea cũ authorib. huius conspirationis arma ceperunt, quibuscunque poterant rationibus obliquè executioni Edicti de pace obsistebãt, nouisq; machinationibus assiduè dabant occasionem diffidentiæ; adeo vt vulnera quibus cicatricem obduci oportuerat, exacerbarentur: & Edictũ de pace, cuius executionẽ tempus adferre debebat, paulatim retardatum ac tandem planè sublatum fuerit. Ex hac machinationum continuatione factum est, vt spatio sex illorum annorum pax variè interrupta fuerit, per inopinatas vrbiũ inuasiones, violentias, imò per apertum bellum, quod ad annum vnum protractum occasionem dedit colloquio Neracensi & Flexensi: adeò vt sex anni qui designati erant redditioni vrbiũ, ob iam dictas interruptiones non sufficerint præstandæ executioni Edicti, exacerbationiq; animorum quæ intra id tempus sperabatur, sopiendæ. Interea Rex instigantibus nõnullis, vrbes eas sibi reddi postulauit,

quod ſcilicet tempus redditioni deſignatum abiiſſet. Religioſi contrà, cum cauſas durare cernerent, nimirum varias occaſiones diffidentiæ, & animos renouatis turbis exaſperatos: meritò anxii, obnixè regem orarunt, non tam temporis præfixi, quàm mali quod interuenerat rationem habere dignaretur; potiusq; effectũ qui ſpatio ſex annorum & ſex annis exactis promiſſus erat conſideraret. Videlicet, ſpatio ſex annorum executionem & continuationem pacis, & per conſequẽs diffidentiæ exacerbationisq; animorum conſopitionẽ: exactis verò ſex annis, redditionem vrbium. quæ quidem eo ſtatu rerum videbatur nequaquam eſſe conſentanea benignitati æquitatiq; Regis, è qua primum hæc vrbium conceſſio erat profecta; cùm conditio quam ſperarat, ſpatio illius temporis, ex ſpe ſua non ſucceſſiſſet. Rex itaq; perpenſis hiſce rationibus, non magnopere de ſpatio laborãs, curatione videlicet mali & ſubditorum ſuorum conciliatione, Religioſos vi cogendos non eſſe cenſuit. Cumq; Rex Nauarræ ei expoſuiſſet Religioſos ſubditos

ſuos

ſuos graues habere querimonias quas apud eũ deponerent, ad executionẽ Edictorum ſuorum pertinentes; quibus auditis,& ſatisfactione data, facilius ad redditionem vrbium peruenireturꝰ Rex per Dominum de Belieure qui ex præcipuis erat Conſilii Status, conſenſit (poſtulante id Sereniſſimo Rege Nauarræ) in Cõuentum Montalbanenſem: è principib. nobilibus, & proceribus Religionis reformatę collectum. cui quidem conuentui Montalbanẽſi Dom. de Belieure nomine regis toto conuentus tẽpore interfuit. quem Sereniſs. Nauarræ Rex teſtem actionum ſuarum appellat, rogatque vt audiatur fidesque ei adhibeatur in omnibus quæ de Conuentu Montalbanenſi cognouit. Ex quo ſatis liquet Conuocationem hanc, nequaquam, vt illorum, inſcio inuitoq; rege factã; ſed permiſſu iuſſuq; regis. imò verò, re accuratè deliberata, vtilem illam ac neceſſariam bono tranquillitatiq; ſui regni iudicauit. In hoc conuentu confectus eſt Catalogus generalis Violationum ſiue Contrauentionũ & Executionum Edicti de pace; qui ex-

hibitus fuit Regi apud S. Germanum in Laye, per Comitem de Laual aliosq; designatos; simulq; demisse postulatum vt subditorum suorum Religiosorum querimoniis leuamen adferret.

Promissum etiam fuit ab omnibus & singulis, quæcunque vis priuatim eis inferretur, se æquali vi obuiam non ituros, neque par pari relaturos; ne videlicet priuatorum quorundam temeritas regnum nouis turbis iuuolueret, quemadmodum non semel in procinctu fuit: sed vt querimonias suas ad Regem Nauarræ deferrent, qui eas regi exponi curaret, qui pro ea animi sui explorata satis erga subditorum suorum tranquillitatem propensione, facile oportuna remedia reperiret. vt vicissim Rex Nauarræ promittebat, causam eorum apud regem sibi cordi fore, eamq; cum tempus postularet, regi accuratè expositurum, vt antea semper fecerat. vt videlicet cum viderent ipsum causam eorum apud regem tuendam suscipere, facilius intra limites rationis continerentur, neque extraordinaria via, quod antea tentarant alio refugio & solatio destituti,

ſtituti, ſibi conſulerent. Hæc eſt ſumma Actorum Conuentus Montalbanenſis; neq; aliud quicquam agitatum. Conſiliũ verò hoc fuit: Impedire, ne vis priuata tãdem erumperet in malum publicũ, turbandæ paci huius regni, ex ſentẽtia Colloquii Neracenſis habiti cum Regina regis matre: vbi articulus expreſſus ea de re conceptus fuit. Quidquid verò amplius ſpargunt, tam eſt conſentaneum veritati, quàm Aſſociatio Magdeburgẽſis. vbi Ieſuitæ obliti ſunt, Principẽ Aurãgiæ ipſorum procuratione trucidatũ, quẽ quinq; poſt cædem perpetratam menſibus, in ſcenam, vt viuum reducunt.

ET reuera, Rex, vbi certò intellexiſſet quid in eo conuentu tractatum eſſet, rationes eorũ adeo æquas iudicauit, vt ſua prorſus ſponte vrbes ſecuritatis cauſa deſignatas ad aliquot vltrà annos eis occupandas reliquerit: cum apertè videret Edictum ſuum non ita, vt putabat, obſeruatum. Atq; hoc quidẽ eſt vnũ ex pręcipuis grauaminibus; cuius nomine Cõſpiratores cum Sereniſs. Rege Nauarræ velitantur, hodieq; aduerſus regem ipſum proteſtantur.

CERTE Rex Nauarræ ſibi perſuadet, ſi quis in memoriam reuocet quæ in hoc regno acta ſunt adhinc XIII, aut XIIII annos, nequaquam diſſentaneum æquitati viſum iri, quòd vrbes aliquot refugii & ſecuritatis cauſa ſint petitæ. poſtulatũque à rege cum iam tempus propemodũ abiiſſet, Edictum verò nondum præſtitũ eſſet, neque diffidentiæ conſopitæ; vt ſecuritas illa ad aliquod amplius tempus duraret, vtpote periculo nõdum ab ipſis ſublato; cumq; Edictum de pace, ex quo vita tranquillitasque eorum pendebat, nondum ſtabilitum eſſet. Dicet tamen admodum liberè Sereniſs. Nauartæ Rex, cauſam præcipuam, quamobrem præter communem Religioſorum neceſſitatẽ, priuato ipſe deſiderio impelleretur rogãdi obnixè regem, vt ipſis ad longius aliquod tempus prædictas vrbes permitteret; fuiſſe Conſpirationem iam ſæpe dictam, cuius effectus ſingulis momentis exſpectabat. quodq; præterea Religioſi, in quorum illi perniciem coniurarant, tuto aliquo portu refugioq; egerent, tantiſper dum Deus hoc eis ſua benignitate largi-

largiretur, vt Rex consilia ipsorum penitus explorata haberet. Et omnino pleriq; eorum qui durãte pace aliquid aduersus hasce securitatis vrbes attentarũt, improbante id rege; satis apertè nobis hodie declarant, quibus probantibus pacem turbare ausi fuerint, & aliquid aduersus dictas vrbes, & alias quæ in potestate Euangelicorum sunt, moliri, cum arma ductu auspiciisq; Conspiratorum ceperint. Et quidem Sereniss. Nauarræ Rex obnixè regem orat, in memoriã reuocet eas res quarum eum certiorem fecit pauci aliquot ante Conuentũ Montalbanensem mensibus, quæ abundè idoneæ erant vt iamtum Regem ad cogitandum de reb. suis mouerent; aut alioqui eum serio cõmonefacerent ad quęrendam aut retinẽdam securitatem aliquam sibi ipsi; quem manifestè probant.

QVOD si dicant se arma cepisse, & vrbes regis inuasisse, vt etiam ipsi nonnullas habeant quibus securitati suæ consulant, exemplo eorum qui contrariam ab eis religionem profitentur, vt nonnulli sparserunt; Sereniss. Nauarræ Rex eos

omnes vnà rogat, vt toti Gallię declarent, qua diffidentia ad hoc impulsi fuerint. Difficulter enim coniectura assequi posset quas causas habeant, vt Regi, vt Catholicis diffidant, vt vel de odiis, vel de iniuriis, vel de simultate Euangelicorum querantur. Certè nimis notum est Regem iis copias & regnum suum commisisse; & si iis malè voluisset, non tot eis rationes nocendi suppeterent, ac suppetunt. Notum etiam est, eos quodammodo partitos esse regnum inter fratres suos & agnatos, ratione summorum honorũ quibus funguntur, & amplissimarũ Prouinciarum quas administrant, non absq; iniuria principum sanguinis regii: quod exercitus duxerint, oppida oppugnarint, prælia cõmiserint, munera publica contulerint, & summatim per aliquot annos regiam beneficentiam in quoscunq; eis libitum fuit deriuarint; quod in hunc vsque diem, quandiu regiis mandatis acquiescere velle se simularunt, Nobilitas & nobiliores ciuitates eos honore sint prosecutæ, auctoritate apud omnes valuerint, & quibuscunque ipsis visum fuit se-

curitatem

curitatem contulerint; tantum abeſt vt per alium, aut contra alium tuitio aut ſecuritas eorum fuerit petenda. Interea ſatis conſtat eos priuatas ſimultates virib. regiis exercuiſſe, & ab iis quos ſibi aduerſarios ſtatuebant regni ſumtibus vindictam ſumpſiſſe. Quod verò hæ commemoratę ſecuritates eos ſecuros nõ reddũt hæc vnica ratio eſt, quod conſcientia factorũ eis metum incutit, quæ tacito flagello eos torquet, monens quòd regia bonitate ſint abuſi, & authoritatem quã ab eo nacti erant, in ipſum-met conuerterint. Cumq; aduerſus ipſum, niſi per ipſum ſecuri eſſe nequeãt, ipſum-met adoriuntur, regnumq; inuadunt. Quod ſi dicãt ſe egere ſecuritatibus aduerſus Euãgelicos Galliæ, nemo certè eſt qui neſciat loco octo vrbium quas nunc occupant, illos totidẽ prouincias in hoc regno obtinere. Cui verò hæc inæqualitas cognita fuerit (neque quiſquam eſt ita rudis qui ignoret) nunquam adduci poterit vt credat, eos de ſecuritate aduerſus Euangelicos laboraſſe, aut metuiſſe ne opprimerentur ab iis quibus abundè ſatis fuit ſe

aduerſus illorum vim tueri ac defendere; quique illos lædere nequaquam poterant, niſi Rege tecti, eius authoritate vallati, eiusq; potentia armati.

QVOCIRCA vt vnuſquiſq; cognoſcat ſinceritatem Sereniſs. Regis Nauarræ: néve prætextu nonnullarum ſecuritatum quibus ei cautum fuit poſt tot iuſtas diffidentiæ cauſas, dicant ſe viciſſim neceſſitate coactos de ſecuritate aduerſus ipſum caueri ſibi petiiſſe: illi inquam qui perpetuo regis fauore ebrii, non alia hodie ratione lædunt, quàm quod nimiũ fiduciæ de iis conceptum, nimiumq; fidei eis tributum fuerit: Offert Sereniſs. Nauarræ Rex publici boni cauſa (tametſi inæqualis planè ſit vtriuſq; conditio) paratum ſe eſſe ad tradendum in manus regis vrbes quibus ſecuritati Euangelicorũ cautum eſt, quæq; in ſua ſunt poteſtate, nõ exſpectato vlteriore biennii ſpatio ſibi à Rege conceſſo: modò ſupradicti arma deponant, & in manus regis tradant oppida quæ occuparunt, vt pro ſuo arbitratu de iis ſtatuat. *Offert præterea*, quantumuis inæqualis ſit vtriuſque conditio, tam

ſuo

ſuo quàm Illuſtriſs. Principis Condei patruelis ſui nomine, ad eximēdos eis ſcrupulos (ſi quos habent) planioremque ad pacem viam ſternendam: tradere in manus regis prouincias quas ſibi rex in hoc regno adminiſtrandas commiſit, vt de iis rex pro ſuo arbitratu decernat: modò ſupradicti eodē pacto prouincias quas occupant, tradant. Tantùm abeſt vt ſecuritatis cauſa, (de qua omnes norunt, longè æquius eſſe ipſis caueri) nouas prouincia rum præfecturas à Rege poſtularint. vt illi quos non puduit per articulos paciſci, vt prouinciarum Normandiæ, Picardiæ, Lugdunenſis, Saluſſenſis, Metenſis, Tullenſis, & Verdunenſis præfecturæ inter agnatos ſuos diſtribuerentur, hoc eſt, vt clarius loquamur, vt cum eo quod nunc occupant, maior huius regni pars, eis attribuatur.

Ex iis quæ iam dicta ſunt Sereniſs. Nauarræ Rex contendit manifeſtò cerni, vtrum illi an ipſe, meliorem nauent operā vt bono publico miſerę plebis, vt voluntāti regis, vt quieti tranquillitatiq; regni ſatisfiat rectęq; conſulatur. Et profecto,

oppido quàm abſurdum eſſet; *Si famulus rem vtilitatemq́ domus maiori ſtudio proſequi quàm filius familias videri vellet.* Si exteri iſti nobis perſuadere velint maiori curæ eis eſſe cõſeruationem huius regni, quàm iis quibus hoc ſtudium eſt natiuũ, & quorum tanti intereſt. Exteri, inquam, illi quorum dignitas amplificari non poteſt, niſi cũ eius pernicie ac diſſipatione, & quibus tamẽ religioni non fuit, ipſum regni huius hoſtem immeritò pronunciare.

QVA motus occaſione Sereniſs. Nauarræ Rex, omnes Ordines ac Status regni orat, vt hoc loco comparent (rametſi res ipſæ comparationem non admittant) actiones maiorum ſuorum in hoc regno, de quibus perpetua ſerie hoc omniũ ore prædicatum fuit; quod nullius vnquam oppreſſiõis in populo, aut iniuriæ in Nobilitatem authores fuerint; cùm actionibus Capitum huius Conſpirationis, quos cõſtabit ab eo tempore quo pedẽ in Galliã intulerunt, magiſtratuum nundinationem inuexiſſe, nouis tributis populum oneraſſe, eiusq; ſuccum & ſanguinẽ exhauſiſſe,

hauſiſſe, ſub regib. Henrico & Franciſco II munia publica & honores miſcuiſſe, primosq; vænum pro ſua libidine expoſuiſſe, & de manu in manum tranſtuliſſe: breuiter Simoniam in Eccleſia auxiſſe, vẽditionemq; temporariorum cum ſuo quæſtu introduxiſſe, vt ſe de aduerſariis ſuis prætextu religionis vlciſcerentur.

QVOD ad ſe attinet, omnes etiam regni Ordines rogat, vt meminiſſe vel inquirere velint, an vnquam, quæcunq; onera ei ſuſtinenda fuerint, populi onera eo nomine auxerit. E contrario, expendãt omnes quo pacto ſubditos ipſi à Deo cõcreditos gubernet, quos cõſtabit nullis vnquam nouis impoſitionum, vectigalium aut ſubſidiorum oneribus grauatos fuiſſe, quantacunque neceſſitate tanto tempore preſſus fuerit: An vlla vnquã iniuria aut facto, aut verbis bona perſonam ve alicuius nobilis (tametſi complures eum grauiſſimè offenderint) quacunque tandẽ occaſione affecerit, ſiue in ſua domo, ſiue in ipſorum ditionibus. An vlla vnquam iniuria, quantumuis prouocatus maleq; exceptus ab iis qui Romanã

religionem ſectantur, affecerit vllũ Prælatum, Paſtorem, monachum, aut aliquẽ omnino Eccleſiaſticum. imò verò an nõ è contrario grati ſemper ipſi, benigneq; excepti fuerint, magisq; ſe facilem & paratum præbuerit ad obliterandas offenſas, quàm ii ipſi à quibus offenſus fuerat. An non ſemper honorẽ obſeruantiamq; detulerit ſupremis Curiis, earumque miniſtris, & ſummatim omnibus qui inſignia iuſtitię gerunt; An vnquã viſus fuerit aut iuſtitiæ vim facere, aut neceſſaria auxilia iuſtitiæ, cum in ipſius manu eſſet, non ſubminiſtrare. Quod verò ad reliqua huius regni membra attinet, is qui omnibus nihil quàm honorem, amicitiã, beneuolentiamque detulit, neq; cuiquã iniuriam fecit, ſed gratus omnibus eſſe ſtuduit, non facilè cenſebitur aut decernetur hoſtis totius regni.

QVOD ad ſtatũ regni generaliter attinet, inficias ire non vult, bella ciuilia magnam rerum omnium cõfuſionem huic regno attuliſſe, egeſtatẽ populi, diminutionem Nobilitatis, ſubuerſionem Eccleſiaſticorum, vera belli, potiſſimum ciuilis,

lis, germina quæ in animo ſuo deplorat, eisq; remedium allatum cuperet etiã ſanguinis ſui profuſione : Teſtatur tamen Deum, teſtatur conſcientiam ſuam, teſtatur Galliam ipſam, quæ acie oculorũ non mediocriter, adeoq; recenti memoria prædita eſt, vt optimè viderit, optimeque omnis illius temporis meminerit; an vnquã ad arma venerit niſi extrema neceſſitate compulſus, tametſi eam ipſam neceſſitatem proſpicere, rationeq; præcipere potuiſſet. Teſtis eſt Cõuentus Blęſiacus, authoribus hiſce conſpiratoribus habitus, quo ipſum omnesq; eiuſdem cũ eo religionis, proſcribebant, niſi è veſtigio religionem mutaret. quod quidẽ ei fortaſſe non ita difficile factu fuiſſet, ſi æquè atheos eſſet ac illi omnis Religionis ſunt expertes. An præterea pacem priuato vllo reſpectu detrectarit (tametſi ea eſt ipſius dignitas vt quod ipſe pro re priuata habet, meritò cenſeri poſſit publica) quandocumque conſcientiæ ſuę iudicio ſatisfieri potuit, cumque animaduertere potuit, eos qui Religionẽ quam ipſe profitetur, amplectuntur, ex fide ſua quietè

tranquilleq; Deum colere posse: An vlla vnquam prærogatiua insigniri postularit, accessione authoritatis, augmento pensionis annuæ, honorum ac munerũ amplificatiõe; an verò ecõtrario maluerit, in eo statu in quo adhuc est se continere, absque vlla authoritate in ea quam administrat prouincia, quæ ei integra per pacem restituenda erat; quàm bellũ vel ad exiguum aliquod tempus protrahere, & vel vnius horæ mora alleuationẽ populi quam pax adferret retardare, aut pacem postquam constituta esset turbare, propter priuationem possessionis aut vsus liberi omnium eorum quæ respectu ipsius promissa erant. Articuli pacis vltimæ id testari possunt, & colloquium Foxense, in quo ad conditionem suam meliorem efficiendã, vti potuisset votis Ducis Andegauensis, transferendi nimirum se in Belgium, quò generali legatione Ordinum Belgicorum vocatus erat, qui acriter id postulabant atque vrgebãt. Antiquius tamen ei fuit eo tempore priuatum suum commodum amplificationi huius regni postponere, quàm vel tantillum

lum remorari aut nundinari insigne aliquod emolumentum quod ei accessurũ esse videbatur. Pacem itaque composuit, iis conditionibus quib. regi cum illo paciſci placuit. vt eò facilius Belgium Galliæ imperio adiungeretur; vtq; etiam ipse eò se conferret, si rex id probaret. Hi verò Cõspiratores, Veri Franci scilicet, vt impediãt quo minus Belgium Francico regno adiungatur, tum cùm legati Belgici id regi deferrent, iis conditionibus vt legẽ ipsis præscriberet & vrbibus quæ vellet præsidia, & præfectos imponeret; vt hoc, inquam, impediant, regnum eius turbãt, populũ concitant, & in summa pace bellum susciteant.

QVANTAM ab omni hoc tempore patientiã Rex Nauarræ præstiterit, quãq; graues offensionis causas haberet, ob indignam tractationem qua impulsu hominum eiusdem cũ coniuratis farinæ afficiebatur; vniuersis mortalibus cogitandum relinquo; cum procul à rege remotus esset; nulla auctoritate in prouincia quam administrabat fultus, cumq; nihil ex nominibus acciperet, neq; maior eius

ratio haberetur quàm infimi in Gallia cẽturionis, abſit dicto inuidia. Et vt ſimpliciter ac verè de actionibus eius loquar; niſi ipſe malum quo populus per totum regnũ afficitur acrius perſenſiſſet, quàm hodie Conſpiratores iſti: tantus quantus eſt, toti Franciæ funditus ſubuertendæ par erat. cæterùm ipſe eſt Frãcus, & princeps Francus, genuinum Franciæ membrum, quod dolores perſentit, eiusq; plagis ac vulneribus afficitur. Imminutio auctoritatis, amiſſio gratiæ, priuatum detrimentum, nunquam tantùm valebunt, vt indignatiõe animi impulſus officii ſui obliuiſcatur; quòd quidem Conſpiratoribus eſt proprium; quia leuiter tantum Franciæ inſerti ſunt, ſimiles planè cruribus ligneis, & fictitiis exemptilibusq; brachiis, quæ ardẽte corpore nullo ſenſu doloris afficiuntur; quibus externũ aliquid tribui poteſt, internum nequaquam, non motus, non ſenſus genuini Franci.

In hiſce motibus quos cõiurati declarãt & proteſtantur directè in ipſum ſtrui, caput, vitam, honorem, cõſcientiam deniq; ipſius petẽtes videat cũ eos armatos,

vrbes

vrbes in meditullio prouinciæ quam administrat inuadentes, seq; omni ex parte ab eis cinctum, & patientiam suam continuè ab eis irritari; certè nisi ipse maiorē regis quàm priuati sui periculi rationem haberet, & nisi publicum regni bonum, & spes publicæ pacis (si pax cum eiuscemodi hominibus constare potest) antiquius ei conseruatione sui ipsius fuisset; an obsecro probabile, imò verò an æquū fuisset, vt se tanto tempore contineret, vt omnino continuit? Cæterùm ipse susq; deq; omnia habet, modò populo tranquillitas, regno pax, regi obediētia atque honor, pro eo ac par est, constet, etiam cū manifesto suo periculo, & damno irreparabili.

HÆC sunt summatim, quorum nomine Serenis. Nauarræ Rex insignibus hisce Hæretici, relapsi, persecutoris Ecclesiæ, hostis Catholicorum, & perturbatoris regni in titulis speciosis insimulari potuit. Quod ad decretum attinet quod inde pronuntiant, quo declarant ipsum excidisse iure successionis in regnū, vtq; Illustris. Cardinalis eius patruus ti-

tulum primi principis ſanguinis regii & futuri hæredis adiciſceret curarunt: Hic certè eſt articulus qui eos maximè torquet, ſed de quo ipſe minimum hactenus cogitauit, quodq; ei extremum accidit. Et quod ad hoc negotium ſpectat, ſatis habet Sereniſs. Nauarræ rex ſperare, Deum, magno regni bono regẽ quàm diutiſſimè ſuperſtitem conſeruaturũ, ſobolemq; ei oportuno tempore largiturum, cum non exiguo omnium ſuorũ hoſtiũ dolore. Bona etiam eum ſpes habet, negotium ſibi eſſe cum Francis, quantumuis eis corrumpendis inſudarint, qui norunt iura, & genealogias non ignorant; quiq; ordinis & gradus qui obtingere ei debet, rationem ſint habituri: Dei etiam benignitate ſe ſuſtẽtat, qui eſt protector iuſtitiæ, vindex violentiæ, in cuius oculis vtrique verſantur, cuius iuſta iudicia nequaquã, vt humana, corruptelis ſunt obnoxia, cuius decretum eſt certũ, executio immutabilis, cui illi obſiſtere nequeunt.

QVOD ſupereſt, & quod ad Religionẽ attinet, Sereniſs. Nauarræ Rex declarat

Regi

Regi ſummo ſuo domino, omnib. Ordinibus & Statibus huius regni, omnibus Chriſtiani orbis Principibus ac Statibus tam ſæcularibus quàm Eccleſiaſticis: Se eſſe ſemperq; fore paratum ad morē gerendum decretis legitimi Concilii generalis aut nationalis, vt continetur regio Pacificationis Edicto. Quantum ad regnum eiuſq; adminiſtrationem attinet, ſe libentiſſimè decreto legitimorum Comitiorum totius regni Ordinum, quandocumque regi viſum fuerit ea indicere, obtemperaturum. Interea ſe nihil aliud optare, quàm placidè, ex præſcripto Edictorum vitam degere, paratum ad vitā, facultates, amicos pro defenſione regis, ſtatus publici, omniumq; fidelium regni ſubditorum impendendum.

PORRO cum Conſpiratores occaſionem & prætextum armis ab ſe capiēdis Regem Nauarræ ſtatuerint, videriq; velint cum nemine eis quàm cum ipſo negotium vel eſſe, vel vt ſit cupere: eamque in rem in Proteſtationibus ſuis varias calumnias ſpargant atque euulgent, præcipuè verò in his, Quod morti regis inhiet,

quod sit perurbator regni, & iuratus Catholicorum hostis, &c. cumq; præterid quod ante dictum est, se parem existimet probandis vnicuique suis actionibus; Sereniss. Nauarræ Rex quanta potest cum reuerẽtia Regem summum suum dominũ orat (ad cuius aures non dubitat quin hæ calumniæ sint delatæ) ne ægrè ferat, (saluo semper honore atque obseruantia regi debita) quod dicat, & pronunciet; Eos qui supradictas calumnias in antedictis protestationibus aduersus se sparserunt atque euulgarunt, falsè maligneque *mentitos esse*, excepto Illustriss. Cardinale patruo suo.

Præterea ad falsitatem illarum calumniarum actionibus suis conuincendam, Orat etiam obnixè Serenis. Nauarræ Rex Regem summum suum dominum, vt fidelitatem obseruantiamq; suam in eo quod ipsi offert gratam acceptamq; habeat; Videlicet, vt pro trãquillitate & subleuatione regis ac populi, hãc controuersiam inter illos & se dirimere dignetur, citra vitæ suæ, nimio regni impendio, discrimen, citraq; vllam aliã Regiæ

giæ ſuæ Maieſtatis moleſtiam. Sperans ſe fauẽte Deo ſatis amicorum tam in hoc regno inter cliẽtes Regis, quàm extra regnum inter amicos & confœderatos regni Francici, reperturum, qui illos ad officium redigant, eosq; cogant ad agnitionem obedientiæ quã regi ſummo ipſorum domino debent; & ad obſeruantiã honoremq;, qui ſibi, ſub Regis imperio, debetur, præſtandum.

PECVLIARITER verò, quando nõ ſine ſuſpiriis & lacrymis animo ſuo obuerſatur ingens profuſio ſanguinis nobilium quam hoc bellum videtur allaturũ, extrema inopia ac miſeria populi, perturbatio ac confuſio quæ in omnem ordinẽ ac ſtatum hac via inuehetur: & quidẽ eo tempore cum pietas, benignitas & prudentia regis, abſq; his motibus fuiſſet, ad hoc ſe iam, vti cõſtat, compararet, vt priſtinum huius regni ſplendorem, proſperitatem, dignitatem, integritatemque omni ex parte inſtauraret, & præcipuè quã do animo ſuo obuerſantur blaſphemiæ in Deum quæ bellũ ſecum trahit, omniumque vitiorum pelagus in armorum li-

centia exundans: Ad auertandas has miserias, quas Sereniss. Nauarræ rex sanguine suo redemptas cuperet, quanta potest animi demissione obseruantiaq; Regem orat, ne molestè ferat conditionem quã in præsentia Guisio offert; cum illi aduersarium se in Prętextu quem armis sumẽdis obtenderunt, statuerint; & ipse Guisius copiis eorum præsit: Vt scilicet controuersia hæc, ne in omnes huius regni ordines & status ærumnę quę ex ea proficisci possent redundent, néve interpositione exercitus domestici pariter & externi sit opus, cum manifesta miseræ plebis pernicie: Singulari illius secum certamine dirimatur. ita vt aut singulis, aut binis, aut denis, aut vicenis, pluribus aut paucioribus capitibus vtrinq;, eo numero quem ipse Guisius nominarit, res agatur, armis inter verè nobiles receptis. Quod verò ad locum duello committẽdo attinet; si eum in hoc regno cupit, Regem orat, vt eum designet. Sin hoc regnũ suspectum habuerit; offert se ad quẽuis alium, extra hoc regnum locum venturum quem Guisius delegerit, quique securum

curum habeat acceſſum, neutri parti ſuſpectum. Honor certè, (cum tanta ſit perſonarum & dignitatum in vtroque, vt omnes norunt, diſparitas atque inæqualitas) quem Guiſius obuiis vlnis amplecti, & quouis precio redimere debeat. bonum etiam quod Sereniſſimus Nauarræ Rex & Illuſtriſs. Princeps Condæus eius patruelis libentiſſimè ſanguine ſuo redemerint, vt regem ſupremum ſuum dominum omnib. malis ac miſeriis quas eiſtruunt, regnum à tumultu & confuſione; nobilitatem ab interitu, & plebẽ ab anguſtiis extremaq; calamitate vindicẽt. Proteſtans Sereniſs. Nauarræ Rex corã Deo, & ex animi ſui cõſcientia, Se vt hãc viam ingrederetur nulla ambitione, neq; odio in illos impulsũ, ſed nec commotũ vindictæ cupiditate, vlla aut pari, qua illi pro animi ſui libidine aduerſus ipſum commouentur. Sed ſolum deſideriũ videndi, Deum coli & honorari, regẽ ſuũ extra diſcrimen omnesque moleſtias, regnum in pace, populum in tranquillitate conſtitutũ, effeciſſe; vt voluntariè ſuaq; ſponte periculum armorũ deligeret. Ob

ſolum mœrorem animi ob malum quod ſingulis momentis ei ob oculos verſatur, regnum ſcilicet hoc nouis rurſus in Deũ blaſphemiis obnoxium fore, inter procellas & pericula naufragii, & plebem in ſummas anguſtias veteresq; miſerias redactũ iri; in quas ſi denuò relaberetur, difficilimè aſſurgere & conualeſcere poſſet.

CONFIDIT etiam planeq; ſibi perſuadet Rex Nauarræ, Deum Opt. Maxi. qui ſcrutatur corda, & in cuius manu ſunt euentus armorum, ſucceſſu ipſo declaraturum vniuerſo orbi terrarum ſinceritatem & iuſtitiam cauſæ, vt ſit poſteritati omnibusq; ſeculis exemplo: Deũ, inquam, cuius iram, vindictam & maledictionem ſibi imprecatur; ſi falſo proteſtatur; Si vnquam mali aliquid in caput regis, in regnum, in ſubditos cuiuſcumq; ordinis, cuiuſcumq; religionis in animo ſuo concepit. Si quas vnquam machinationes in obitũ regis molitus eſt; ſi de vlla vnquam vi aduerſus religionem Romanam, aut aduerſus Catholicos cogitauit. Deum etiam, quem benigno ſuo fauore atque auxilio actiones ſuas proſecuturũ con-

confidit, aduersus eos qui nulla occasione exitium ipsi prætextu nominis diuini moliuntur, regnum miscent, ordinem omnem perturbant, plebem pessundant, regem ipsum regno exuere contendunt.

Dat. Bergeraci; X Iulii, MDLXXXV.

Cum subscriptione

HENRICVS.

Et paulo inferius

Lallier.

VERA HISTORIA DE MASSILIA CAPTA PER *confœderatos, & recepta per fidos ministros Regis: testata literis suæ Maiestatis ad Comitem de Lude; Et aliis literis.*

DIE Martis nono Aprilis 1585, Dariès secundus cōsul, & Bonifacius Cabanes dux ordinum plebem ad arma capienda noctu solicitāt. primo digressu accedūt domum Bonifacii Quæstoris, fratris illius Bonifacii Cabanis. fores pulsant,

& aiunt se adferre fasciculum literarum a Domino Magistro priore Franciæ gubernatore Prouinciæ ad Quæstorem; cupere hunc fasciculũ illi ipsi tradere. Quæstor degreditur comitatus vxore, quæ cãdelã pone ferebat. consul Daries comitatus Bonifacio Cabane & duobus sicariis basiat fasciculum, & Quæstori dat, rogatq; vt curet diligenter exequi quæ scriberentur. His verbis signum dedit sicariis qui eos comitabantur, illum cædendi, nam è vestigio ruerũt in Quæstorem, & gladiis ac pugionibus illum confoderũt. Cabanes ascendit in domum, vt hãc occuparet, ac diriperet. Postea cũ plebe armata eũt spoliatum domos eorum, qui religionem reformatam profitebantur; quos vinctos duxerũt in turrem sancti Ioãnis, postridie mane quinq; ex vinculis eduxerunt; horum vnus nominabatur Chiousse, alter Antonius Lamballeur, omnes colligatos & per plateas vrbis tractos crudeliter trucidarunt: & corpora de muro (in conspectu aliorum qui in turre erant vincti, & eiusmodi supplicio destinati) præcipitarũt. Vndecimo eiusdem

dem menſis, occupant propugnaculum ſanctæ Mariæ de Guardia & literas dederunt ad dominum de Vins (qui ex præcipuis confœderatis Prouinciæ erat) his rogant, vt quamprimum ad eos contenderet. Sed Deus animum addidit domino Bouquierio viro graui & magnæ auctoritatis inter ciues; adeò vt conſules ex illius ſententia deſignentur, & plebs quo ille vult, impellatur; & vnde vult deducatur. Ob hanc auctoritatem odium plurimorum ſibi conflauit in vrbe; qui quũ timerent, ne ille, iſtius ſeditionis oportunitate vſus, eos affligeret; ſeſe cõtulerunt in monaſterium ſancti Victoris. At hic metuẽs fraudem, cõſulem Daries rogat, qua auctoritate turbas iſtas concitaret; Quum alter reſpõdiſſet ex mãdato domini Magni prioris, & mandatum non oſtendiſſet; lubet hoſtes ſuos, qui confugerant in monaſterium, ad eum tuto accedere, cũ his in gratiam rediit; oſtendit magnitudinem periculi, in quo reſpublica verſaretur. Ita conciliatis vtrinque animis per mutuos amplexus; coniunctis viribus (quibus aliis ſuperiores erant) conſulẽ Daries,

& Capitaneum Bonifacium comprehẽdunt; & in vincula ducunt. Continuo rẽ magno Priori, qui ad Aquas Sextias subsistebat, deferũt. hic ducentis equitibus & iudicibus vnius cameræ parlamenti Aquarum comitatus, celerrimo cursu, die Veneris duodecimo eiusdem mensis sub vndecimam noctis Massiliam venit. Ante omnia iubet Euangelicos, qui vincti erant, liberari: post cum iudicibus carcerẽ in quo cõclusi erant consul Daries, & Bonifacius adiit. Iudicium de plano exercet: accusantur consul & dux ordinum: conuicti proditionis, & perduellionis, condemnãtur; & postridie illius diei, morte mulctantur. Edixit per totã vrbem voce præconis, & per Prouinciam, ne quid Euangelici detrimenti caperent. die dominico post decretæ sunt supplicationes publicæ in vrbe propter felicem successum, quem Dei beneficio experti sunt in supprimenda conspiratione; populus vndique clamoribus felicitatem Regi, & regno Franciæ precabatur, ciues cum agnoscerent in eo se peccasse, quod nascenti seditioni minimè restitissent, veniam à Deo, à rege,

ge,& à iudicibus petierũt: miſeruntq; ob hanc rem legatos ad ſenatum parlamenti Aquarum Sextiarum. Et merito debemus Deo gratias agere pro tam felici ſucceſſu, quo tota Prouincia pacata continetur in officio erga regem;& confœderatorum molitiones interpellantur: quæ erant eiuſmodi, vt capta Maſſilia Dux Niuernenſis (qui in omnem euentum Auenione ſubſiſtebat) eò ſe mox conferret. Hic ſuſceptum hoc ſuum obducens ſpecie profectionis ad thermas Lucẽſes; curauit quatuor triremes Florẽtinas in portum Maſſilienſem ſubduci. Domini de Sault & de Vins principes confœderatorum in Prouincia; nullum adhuc vel tuguriolum occuparunt in illa regione: per paucos habẽt comites, quamuis permultos oſtentent aureos nummos; duplices piſtoletos Hiſpaniæ.

LITERÆ QVAS CONSVLES *Maſſiliæ dederunt ad Dominum de Vins.*

DOMINE, has ad te literas dedimus vt certiorem faceremus vrbẽ Maſ-

ſiliam haud diſſimulanter ſecutam eſſe partes Dei,& Reipublicæ; vt omnino ꝑfiteretur fidem Catholicam; vbi omnes decreuerunt ſeſe cum omnibus facultatibus coniungere fœderi principũ Chriſtianorũ,& Catholicorum; & tibi. Quãobrẽ rogamus te,vt ad nos properes: ſi animus eſt ꝑ vias proficiſci quæ rectà huc ducũt: Poteris per Peroieulx, vel per Funeau pergere,ſi mauis per aliam;arripe illam quæ per ſanctum Zachariam,& per Gemenſes ducit. Nam omnib.pagis imperauimus, vt tibi adſint; tuique curam habeant: & commeatum ſuppeditent.Si ſecus fecerint,hos exterminabimus.& in eum finem ſi opus fuerit, tormenta muralia eò ducemus.hoſtes noſtros declaramus,quicunque fuerint tui; teque in noſtram tutelam & protectionem ſuſcipimus:quemadmodum committimus nos tutelæ principum Chriſtianorum Catholicorum; & tuæ. Hodiè occupauimus ꝑpugnaculum ſanctæ Mariæ de Guardia: & in noſtram ac tuam poteſtatem redegimus. Rogamus Deum regem regum, vt te ſua ſancta cuſtodia cingat, & tueatur.

tur. Datum Massiliæ vndecimo Aprilis, Anno 1585.

Sic signatæ

Nicolaus Roque consul
Daries consul
Bourgoigne centurio
Antonius Cornelius centurio
Bonifacius centurio
Carolus de Casaux centurio
Teronius præfectus de Lauze.

LITERÆ REGIS AD COMITEM DE LVDE GVbernatorem agri Pictauiensis de conspiratione detecta Massiliæ. Quæ eodē exemplo missæ fuere ad omnes gubernatores prouinciarum regni. Datæ Parisiis 26 Aprilis, 1585.

DOMINE de Lude, mitto ad te has literas, quibus te certiorem facerem, de Massilia pene intercepta proximis his diebus; & à nobis abalienata perfidia secundi consulis: qui absente primo consule, abutēdo officio sui Magistratus, occu-

pauit vrbem, & aditum portus, eo animo, vt paterent peregrinorum armis: & eſſent penes eos qui tranquillitatem publicam mei regni infeſtant, ſub ſpecie procurandi illius vtilitatem, & alleuationem ciuium; quorum nõnullos inhumaniter trucidarunt; vt eò magis populum commouerent, & cõcitarent ad ſeditionem. Sed, laudetur Deus, res longè aliter, quàm illi opinabantur, ceſſit. Nam ciues agnita machinatione cõſulis (qui ſimulando illis optimè conſulere, dominari illorum fortunis in animo habebat, illoſq; exponere libidini & cupiditatibus militũ peregrinorũ) vnanimi conſenſu arma in hũc & ſocios facinoris conuertunt, occupãt; & vinctos iudicibus tradũt. Confeſſi cõſpirationem, iudicum ſententiis condemnantur, & in crucem aguntur. ſententias Iudicum ſecutus eſt magnus applauſus ciuium; quo fidei ſuæ integritatẽ erga me teſtatam voluerũt: quorum etiam cũ diſcrimine vitæ, honoris & fortunarum, non ſolùm illa ciuitas, ſed tota etiam Prouincia mihi cõſeruata eſt. quam rem cupio notam eſſe omnibus bonis ciuibus, & ſubdi-

ſubditis meis, vt ad exemplum Maſſiliẽſium inuigilent: & diligenter proſpiciant ſcopũ ad quem collimant & tendunt harum turbarum auctores: qui ciuitates, & alia loca in quæ admittũtur, præſidiis firmant: ciues captiuos ducunt, & pulſant, tam Catholicos quam alios. Imperãt his noua tributa, & vectigalia. pecunias meas intercipiunt, cedunt, & depeculantur incolas ciuitatum, non habita ratione religionis. vt nuper accidit Caſtilione ad Matronam: quo loco primo impetu trucidarunt quinque aut ſex incolas Catholicos. Et vbique locorum graſſantur, & innumera flagitia & latrocinia perpetrãt. vnde apparet (vt ſatis teſtantur) nec religionem Catholicam per hos reſtitutum iri, nec populum meum alleuatum, & liberatum ab oppreſſione, bello hoc ſuo omnium miſerrimo, quod ob eam cauſſam cupio extinguere, & ſupprimere quã poſſim citiſſime. At ſi hãc gratiam à Deo non impetrauero, propter pertinaciã eorum qui principium his turbis dedere: admonebis omnes meos ſubditos, vt ſibi caueant: Et fidem illam ſpectatam, & obe-

dientiam proptã, qua mihi tenentur, perſeueranter ſtudeant præſtare; tanquam principi & ſupremo domino. renuncient omnibus fœderibus & ſocietatibus. Cõfugiãt ad me, meæq; protectioni & tutelæ ſeſe committant. & degant ſecure propter curam maximã, quam habeo de defenſione & conſeruatione eccleſiæ Catholicæ; & alleuatione, & ſolamine mei populi. Cura etiam exemplaria harum literarum perferri ad præcipuos eccleſiaſticorum, & ad nobiles illius Prouinciæ; & habitatores vrbium: vt animi mei beneuolentiam erga ſe propius cognoſcãt; & periculum in quo verſentur ex prorogatione iſtius belli intueantur. rogo Deũ vt te protegat. Datum Pariſiis 26 Aprilis, Anno 1585.

Obſignatum

Henricvs.

Et paulo inferius

De neufuille.

EDI-

EDICTVM REGIS DE REVOCATIONE EDICTORVM *Pacificationis, & conciliatione ſubditorum ſuorum ad gremium eccleſiæ Catholicæ, apoſtolicæ & Romanæ.*

HENRICVS Dei gratia rex Galliæ & Poloniæ, omnib. præſentibus & futuris ſalutem. Conſtat Deo & hominibus quo animo affecti ſemper fuimus, & quantos labores ſuſcepimus ante & poſt ſuſceptam coronam; vt ciues noſtros ab eccleſia Catholica apoſtolica Romana abalienatos huius gremio cõciliaremus; & animorum diſtractiones, & ſectas, quę irrepſerunt & inuectæ ſunt in religionẽ, dum reges fratres mei (quibus Deus condonet) & ego minores eſſemus annis, ex hoc regno deleremus. tã vt conſcientiã noſtram erga Deũ (vti tenemur) puram præſtaremus: quam vt quietis bonæ ſolidum & perpetuum fundamentum inter ciues noſtros iaceremus & ſtabiliremus. quo regnum hoc noſtrum perinde felix & trãquillum redderemus, vti fuit tem-

poribus regum felicis memoriæ maiorum noſtrorũ. Nam ſæpe armati fuimus, & diu bellum geſſimus in hoc noſtro regno in hunc ſolum finem: pro quo opitulantibus bonis & fidis ſubditis noſtris, parati eramus libentiſſimo animo, vitam & facultates omnes exponere. At Reges noſtri domini & fratres veluti nos (ad parcendum ſanguini & opibus noſtrorũ ciuiũ, & miſeram plebem ab iniuriis & oppreſſione vindicandam) edicta pleraque pacificationis ergô compoſuimus: vt hac via grata & ſuaui tentaremus eo peruenire, quo animo deſtinauimus. Sed Deus non paſſus eſt, vt hęc via nobis ſecurior & felicior eſſet illa quę aperitur armis, vt videre eſt ex nouis iſtis motibus, & armis correptis in noſtro regno, quæ originem & fundamentum traxerũt à diuortio religiõis, quod fertur in hoc regno. Ex quo nouimus & experti ſumus, prouidentiam humanam, ſpemque conſiliorum cogitationumque, quum in omnibus rebus, tum præcipue in cauſa religionis fore fragilem & fallacem. De qua quoties diſſenſio fuit, aut controuerſia agitata in aliqua

republica,

republica, mox eadem obnoxia fuit infelicitati, & desolationi, iuxta verbum sanctum Domini. Cui rei cum optamus, vti decet regem Christianissimum studiosissimumq; salutis suæ & suorum subditorum, obuiam ire, & remedia adhibere: nos his caussis, & aliis bonis & magni momenti rationibus adducti: secutiq; consilium honorificentissimæ dominæ Reginæ matris nostræ; & plurimorum principũ & procerum consilii nostri, hoc nostrum edictum perpetuum & irreuocabile ediximus, statuimus & cõposuimus. Edicimus, statuimus & decernimus vt sequitur:

Primum, Nolumus in hoc nostro regno, regionibus, terris & feudis nobis subiectis vllam in posterum professionẽ seu exercitiũ religionis, (quæ dicitur) reformatæ: sed solius nostræ religionis Catholicæ apostolicæ & Romanæ. Interdicendo manifestè, & prohibendo illud exercitium subditis nostris cuiuscunq; status aut conditionis fuerint, sub pœna publicationis corporis & bonorũ, non obstante permissione & licentia quæ per nostra

antehac promulgata edicta pacificationis conceſſa fuit: quæ nos retractauimus & retractamus per præſens edictum. per quod volumus & iubemus, ſub iiſdē pœnis vt ſupra, omnes miniſtros ſeu concionatores illius nouæ religiōis egredi & excedere ex hoc noſtro regno, & terris noſtri iuris & imperii intra menſem vnum poſt huius edicti promulgationem in curiis noſtris Parlamentorum. Et vt præcideremus anſam & cauſſam magnorum malorum & calamitatum; quas permiſſio contrariarum opinionum in religione inuexit in hoc regnum: vtq; quietem magis firmam inter ſubditos & tranquillam præſtaremus: Nos iuſſimus & iubemus, ſub eiſdem pœnis quibus ſupra, oēs ſubditos noſtros de hinc viuere ſecundū religionem Catholicam apoſtolicā Romanam: & qui profitentur religionem illam nouam, vt hanc renuntient; & abdicent: componantque ſe ad amplectendū religionem Catholicam apoſtolicā Romanam: & hāc profiteri intra menſes ſex poſt promulgationem præſentium. Et ſi nollent hanc profiteri, nos volumus vt egrediantur

grediantur & excedãt ex hoc noſtro regno & terris nobis ſubiectis. quo facto nos his permiſimus & permittimus ius nihilominus vendendi, fruendi aut alio modo diſponendi de bonis ſuis tam mobilibus quam immobilibus vti volucrint. Eadem de cauſſa & conſideratione declarauimus & declaramus per præſentes ſubditos noſtros, qui infecti ſunt hæreſi, fore incapaces & minimè idoneos ad poſſidendum & exercendum miniſteria publica, magiſtratus, officia, & dignitates in hoc noſtro regno & terris noſtri Iuris & Imperii. Et vt memoriam turbarum quæ elapſæ ſunt deleremus, & factionum quę cauſa religionis inter ſubditos noſtros viguere: Nos iamdudum reuocauimus & reuocamus Cameras iudicum bipartitas, tripartitas & alias inſtitutas in curiis Parlamentorum ad præſcriptum edictorum noſtrorum pacificationis. Et eadem ratione commiſimus & committimus actiones quæ ibi pendent, in quo ſtatu ſint, diſceptationibus iudicum ad quos proprie cognitio ſpectat.

Volumus præterea & iubemus, vt op-

pida quæ ante hac ſecuritatis cauſa commiſſa fuere cuſtodię eorum qui profitentur dictam religionē nouam, ſint per hos derelicta libera, & præſidia quę inibi ſunt educta ſtatim poſt promulgationē præſentium in curiis Parlamentorum, quorū in territoriis ſita ſunt. Cumq; ob interdictum exercitiū nouæ religionis, nonnulli cauſſam prætexere poſſint exercēdæ vindictæ priuatim: & turbas ac ſeditiones in hoc noſtro regno mouere: prohibemus manifeſtiſſimè omnibus ſubditis noſtris omnium ordinum & conditionum ſub pœna mortis, ne vim inferant, aut moliātur inuicem quid ex priuata auctoritate: permittendo coêrcitionem & punitionē delinquentium noſtris miniſtris. Et quia nobis conſtat Principes miniſtros coronæ, antiſtites, proceres, & alios miniſtros, oppida, ciuitates, & reliquos omnes qui hos ſecuti, opitulati, fauore ꝓſecuti ſunt in nouis iſtis motibus tam in occupandis armis, oppidis, propugnaculis, nummis noſtris quibuſcunque, cibariis, tormentis muralibus & aliis tormentis bellicis, ſubornationibus, delectu militū, redemtionibus

nibus captiuorum actis hostilibus quam in genere aliis facinoribus perpetratis & tentatis intra hoc regnũ & extra ob causas prædictas, fuisse inductos zelo & studio quodã singulari quo præditi sunt erga patrocinium & conseruationem religionis Catholicæ apostolicæ & Romanę. Nos declarauimus & declaramus nos horum factum vt nobis acceptum & gratũ approbare: volumusq; eos hoc nomine & facto in posterum omnino liberatos ita vt non fas sit cuiquam hos persequi quacunque ratione & modo. Imperando ob eam causam perpetuum silentium procuratoribus nostris generalibus præsentibus & futuris: cæterisque iudicibus nostris omnibus & aliis quibuscunque. Et si ob causas prædictas iudicia aliqua lata fuere: Nos volumus & censemus illa omnia fore nulla, & perinde esse ac si non fuissent concepta. Et vt ea quę hoc edicto sunt complexa melius obseruentur in omnibus punctis, volumus omnes Pares, Principes Franciæ, ministros huius coronæ, consiliarios in nostro consilio status; equites auratos duorum nostrorum

ordinum, gubernatores & legatos generales prouinciarum noſtrarum; præſides & conſiliarios in curiis noſtris ſupremis, balliuos, ſeniſcallos & alios miniſtros noſtros, maiores, ſcabinos, cœtus & communitates vrbium noſtrarum, ſolenni iureiurando promittere, ſe velle tueri & obſeruare inuiolatè hoc noſtrum edictum. vtque eorum iuramẽta & acta ſuper hoc confecta, ſint inſerta archiuis & commẽtariis publicis curiarum noſtrarum; vt his vti poſſimus cum opus fuerit. Iubemus præſenti edicto charos & fidos noſtros conſiliarios qui exercent iudicia Parlamentorum noſtrorũ, balliuos, ſeniſcallos, præfectos vel eorum legatos, & cæteros iudices & miniſtros noſtros & horum vnumquemq; vti decet vt curẽt hoc noſtrum edictum, cõſtitutionem, voluntatem & mentem legi, promulgari, in acta referri, obſeruari, cuſtodi, & retineri inuiolatè & ſine infractione. Et vt hoc fiat & patiatur, cogant & curent cogi omnes, quos decet & merentur cogi. Nam eiuſmodi eſt noſtrum placitum; non obſtantibus quibuſcunque edictis, conſtitutionibus

nibus, mandatis, interdictis aut epistolis huic contrariis quibus in gratiam eorum quæ hoc edicto cõtinentur, & ne his fiat præiudicium, omnem auctoritatem derogamus. Et vt hoc sit firmum & stabile in sempiternum, nos obsignauimus præsens edictum manu nostra propria, & sigillum nostrum curauimus huic affigi. Parisiis mense Iulii, Anno gratiæ 1585. & nostri regni duodecimo.

Sic signatum

HENRICVS.

Et in replicatione scriptum

Ex mandato Regis

Brulart.

LITTERÆ REGIS NAVARRÆ AD REGEM GALLIÆ, *data Bergeraci vicesimo Iulii, anno* MDLXXXV.

MI Domine quũ horũ motuũ auctores re & factis indicassent, quo ani-

mo essent affecti erga Maiestatem tuam, & rempublicam; mihi per literas tuas amicissimè scriptas, iudicium tuum grauissimum, de eorum mente communicasti: quo optime nosti istos homines, quacunque specie propositum suum obducant, vitam tuam atque sceptrum petere: velleque cum tuo incommodo atq; damno suas opes & potentiã augere: nec aliud plane moliri quam ruinam & dissipationẽ tui status. hæc sunt, domine, verba tuarum literarum: quibus etiã me magno honore affecisti, cũ agnosceres meã fortunam cõiunctam esse tuæ: & adderes hos mei ruinam perinde atque tuam moliri: cum esset difficile ad meas fortunas affligendas (quæ à tua amplitudine atque potentia pendent) nisi per tuas penetrare. hoc animo, domine, tu etiam imperasti gubernatoribus prouinciarum & eorũ legatis, nomarchis, prẹfectis & aliis ministris tuis, vt impressionem in hos facerẽt: & vt rebelles & publicæ trãquillitatis turbatores profligarent. Declarationes tuæ, quibus hi damnantur rei læsæ Maiestatis, ad oẽs curias tuas Parlamentorum missẹ fuere;

fuere; & ab iisdem receptæ, & approbatę. Iudicia inde solennia, & sententiæ promulgatæ. & ex auctoritate horum iudiciorum, suppliciũ in plerisque locis huius regni per necessarium sumptũ est de coniuratoribus: vt esset exemplũ insigne eorum rebellionis, & coniurationis aduersus remp. & iudicii; quale tua maiestas, tuum consilium, tuæque curiæ tulerunt de eorum conspiratione. Nihilominus, domine, tua Maiest. naturali quadã clemẽtia adducta, consultum fore putauit (quẽadmodum ad me scripsit) hos ad officiũ blande reuocare: & pariter me monuit vt placide & æquo animo ferrem illam perocium distinguere, & subditis suis demõstrare, quam remotæ essent causſæ, quib. isti rerum nouarum studiosi adducũtur, ab illis quas prætexunt: & quamuis tuæ Maiest. iã constaret quid molirentur, fore tamen vtile putauit, vt id innotesceret populo: quem sub specie religionis in animo habent seducere ab officio. Domine, tua Maiest. poterit in mentem reuocare, quam tolerabiliter, & æquo animo in hodiernum vsque diem parui, & morẽ

gessi tuæ voluntati,& mãdato:& si ex tua prudentia & æquitate satis nosti iustas illas causas, quæ meam patientiam accusabant,& vitio vertebant:cũ aperto marte peterer ab hostibus tuæ Maiestatis:qui dictitabant se nullam aliam certaminib. suis metam proposuisse, quam mei profligationem. Tãtum potuit tua apud me auctoritas, meaque tuæ voluntati & mãdatis obedientia, vt nequaquam me cõmouerẽ:& si hi quotidie ob oculos meos versabãtur; & quasi per vlnas meas trãsibant, armati contra te;inflati contra me: res nouas quotidie tentantes; interdũ vt occuparent loca munita meæ Prouincię: interdum meas domos: interdũ memet ipsum:tamen nefas duxi quicquam attẽtare;quamuis rei bene gerendæ optima esset oblata occasio,qua & officium vtile tibi, & reipub. salutare feciſſem: meque vindicassem quemadmodũ ratio & natura suadebant.Sed tua,domine,sola volũtas plus valuit apud me quã ratio, quã necessitas. ego indolem meam;meũ cor, & quasi existimationẽ coegi vestris mãdatis parere. Insuper cum tua Maiestas

me

me tanto honore afficeret, vt omnib. fe-
re literis promitteret, mei perinde atque
ſui ipſius rationē ſe habiturum: nec quic-
quam accepturum ſibi, aut conceſſurum
aliis in fraudē aut præiudicium edicti pa-
cificationis; quod firmū & irreuocabile
eſſe voluit, & velle ad illius præſcriptum
ſuos ſubditos omnes in officio cōtinere.
hæc, tua Maieſtas repetitis literis ſua ma-
nu ſcriptis (quas apud me ſeruo) mihi ſæ-
pe promiſit quemadmodum & genero-
ſis viris D. de Cleruant & Chaſſincourt,
& aliis, qui negotia mea in aula ſua pro-
curabant. idem promiſit & ore, & literis
Regina tuæ Maieſt. mater. At iam accepi
Maieſt. tuam pacem repente cum his cō-
poſuiſſe, qui contra te (vt auctoritatē tuā
minuerent, & obſequium quod tibi de-
betur tollerent) conſpirarunt. & iis con-
ditionibus compoſuiſſe, vt edictū veſtrū
ſit abrogatum; fideles veſtri ſubditi pro-
ſcripti: cōiurati illi armati; & armati qui-
dem atque aucti tuis viribus, & auctorita-
te, aduerſus obſequentiſſimos fideliſſi-
moſque tuos ciues, & aduerſus memetip-
ſum; cui id honoris eſt, vt propinquita-

tis genere,& agnatione te proxime attingam. quãdo mihi persuadebam, me meo facto multũ gratię apud te collegisse, fieri non potest vt hanc alia ratione amiserim quã patientia illa mea,& obedientia. Cogitet nunc tua Maiest. in quo labyrintho deprehendor:& quid spei mihi sit reliqui in desperatione? Patefeci tuæ Maiest. in illa declaratione quæ meo nomine huic oblata fuit, conditiones omnium æquissimas pro pace publica constituenda: pro quiete tuę Maiest. asserenda & alleuatione subditorum tuorum. Si quæstio est de religione (etsi velamẽ hoc obiiciunt, quo caussam plausibilem prætenderent, causa tamen nulla est, quæ minus illis cordi est) ego concilio libero assensus sum. Si de fiducia danda, & securitate, (etsi causam nullã habent quamobrem peterent) obtuli me velle cedere & puinciæ, cui præsum,& oppidis securitatis caussa euangelicis datis, ea conditione vt illi tãtundem præstarent; ne pax huius reipub. interpellaretur. Si me petũt; aut sub auspiciis mei patrui in animo habent turbare statũ reipublic. ne quid negotii faceſſeremus tuæ Maiest.

Maieſt. rogaui vt iſta controuerſia illorũ, & meis viribus decidenda committeretur; & ad calamitates publicas præcidendas, obtuli monomachia & ſingulari certamine cum illorũ duce Guiſio certare. Breuiter, vltra quam ratio poſtulat, & iudicium ſenſuum, compoſui me ad parẽdum iuſſis & monitionibus tuæ Maieſt. omnibus. Volui præter officium; & non habita ratione inæqualitatis noſtrarũ cõditionum, me parẽ reddere inferioribus; & me demittere vſq; ad eos quos tua Maieſt. rebelles pronuntiauit; vt tot miſerias, ſi fieri poſſit, meo ſanguine redimerẽ. At ſi hic caſus grauiſſimus mihi accidat, quod tua Maieſt. (etſi vix poſſim adduci vt credam) non habita ratione mearum conditionum, aut ſubmiſſionis, pergat in tractatu huius pacis, pacis edictum abrogando; rebelles armando cõtra rempub. contra ſuum ſanguinem, contra ſemetipſum, dolebo vicem tuam, & ex imo corde lamentabor: quum videam te coactũ, quando nolles mea fideli opera vti, accelerare ruinam tui ſtatus, & tui regni calamitatem: cuius finẽ fruſtra ſperabimus,

niſi cum fine & interitu alterius. etſi certum eſt, & annorũ viginti & amplius experientia comprobatum, irritos iſtorum futuros conatus; & quantũ ſibi conſtruent tantũ tibi deſtruere. Solabor me nihilominus in mea innocentia, & integritate; & in amore erga tuam Maieſtatem & rempub. meo. Et quod per me non ſtetit, quin meo periculo hanc ſeruarem à naufragio. Tantam ſpem in Deo, meæ æquitatis & fidei defenſore repoſitam habeo; & hunc mihi ita propitium futurũ confido, vt me nũquam ſua ope deſtitutum relinquat, in hoc opere promouendo. Sed magis magisq; mihi animos & copias addet aduerſus hoſtes meos, qui etiam ſunt tui. Hunc ſuppliciter rogo vt tuam Maieſtatem ſalutari conſilio iuuet, incolumen ſeruet, & in negotiis adſit. Et mihi eam gratiam largiatur, qua poſſim, dum viuam, obſequiũ tuæ Maieſtati debitum præſtare.

DE-

DECLARATIO NEC NON PROTESTATIO SERENISSIMI REGIS NAVARRÆI, Illustrissimi Principis Condæi & Ducis Mommorancij;

IN PACEM CVM PROGENIE Lotharingorum initam, qui coryphæi & præcipui authores sunt Fœderis sacri, in veræ Religionis & Regiæ stirpis Francorum perniciem.

COMPERTVM vnusquisque habet & ob oculos sibi proponere potest, quis regni Gallici status, quisve Regis animus esset, cũ extremo Martii MDLXXXV, progeniei Lotharingicæ capita, sacri fœderis obtentu arma aduersus Maiestatem regiam mouere, & Reipublicæ quietem commouere incœperunt.

Etenim pax cum veræ Religionis studiosis mẽse Nouembri anno MDLXXX, sancita, altè in animis radices agebat, & Pacis fructꝰ & vtilitas.

ex illis ſimultates & offenſiões euellebat: iuſtitia ſub eius tegumento vires exaſſidua legũ obſeruatione recolligebat: pietas ius ſuum, cuius armorum nimia licentia iacturam fecerat, in conſcientias repetebat; nobilitas diuerſis ſtudiis depoſitis mãſuetudine inuicem coaleſcebat; plebs poſt grauiſſimas ærumnas, rebus probè à Rege cõſtitutis militari populatione immunis ſudore partis fruebatur: denique belli calamitates obliterabantur, & breui temporis ſpatio per ἀμνηστίαν ferè ſepultæ iacebant: idq; pacis beneficio, quã Rex ſummo ſtudio proſequi, & conſilio fouere omnino inſtituerat.

Quod ſi ſuperiorum calamitatum adhuc veſtigia quædam vtrinq; ſupererant, quibus mederi pax inſolidum non potuiſſet (quæ nec tot annos tulerat, nec roboris tantum obtinuerat, quantum antea bellum) attamen Rex, qui morbos eorũque curationem agnouerat, ſimul rationem inierat, pro ea cura, qua in res ſuas aſſiduè incumbebat, non ſolum regni calamitatibus metam ponere, ſed illud præſertim in priſtinam dignitatem, proſperitatem

tatem & decus integrum reſtituere.

Hæc verò optima ſeries & continuata rerum progreſſio vniuerſorum & ſingulorum tranquillitati; bono & leuamento adprimè ſalutaris interturbata eſt à Lotharingis, pacis & quietis regni impotentiſſimis: quam conatibus ſuis aduerſam experiuntur, & quibus addere colophonem ſe nō poſſe intelligunt, niſi per huius ſtatus infelicitatem, ἀταξίαν, ruinam & diuulſionem.

Nec neceſſe eſt hoc loco retexere, quæ ſint illorum technæ, cum ex effectis ſatis pateant. Explorata enim cuilibet ſunt cō ſilia quæ Lotharingi agitarunt, & quibus artibus illa perficere nixi ſunt; præſertim à regno Franciſci II, vſq; ad hunc diem. Quæ ſunt in ſumma, ſtirpem Regiā Frāciæ funditus tollere, & ipſius locum ſubire: huncq; conatum vt expeditiorē redderent, regnum hoc in ſe committere; inteſtina diſſidia fouere; nobilitatem ſanguinis ſui profluuio & damno infirmare; authoritatem ac dignitatem Principum ementitis prætextibus minuere; interim ad ſocios coniurationis allicīdum armo-

Inſidiæ, conatus & cōſilia Guiſiorum de extinguēda regia ſtirpe & vera Religione delēda, regnāte Frācisco II, anno MDLIX.

rum pręsidiis muniri; obsistentes pessundare, & pro virili huius regni authoritatẽ & potentiam ad se trahere; propagationẽ Euãgelii impedire, persecutiones in pios mouere, & Ecclesias Christi destruere.

An. MDLX Aureliis Antonius Nauarręus rex, & Princeps Cõdæus Ambaxaniæ cõiuratiõis obtentu crimine læsæ Maiestat. à Lotharingis accusati fuere.

Equidẽ recordari quilibet potest eos à Francisci II regno prædictis vestigiis semper institisse, pedetentimq; temporũ momenta & occasiones satagendo vlterius progressos esse. Primarios enim proceres consanguineos insimularunt, quod in Regis adolescentis caput cõiurassent, hacq; simulatione aliquot Principes capi, in ædibus cancellis munitis cõcludi & detineri curarunt: cæteros à laterib. Maiestatis regiæ remouerunt; prouectiores & fideliores regii Diadematis administros gratia exuerunt; tuncq;, nisi Deus auertisset, huius status ceruices sub iugũ misissent.

Res est notissima, nec nisi ambitiosis ipsorum consiliis adscribi potest. Ecquis enim Princeps tunc temporis in Gallia erat, qui Religionem Catholicam Rom. non profiteretur? Tunc certè de Religionis controuersiis nõ quærebatur, de qua

exigua

exigua in hoc regno mẽtio fiebat. Imò cõ trouersia fuit & adhuc est familiæ Lotharingicæ in stirpem Francicam. Sub Regis tegumento regnum affectabãt, commodiorem occasionem opperientes, ac regis authoritate & brachio muniti, Principes consanguineos, qui eis obstitissent, nec non Diadematis administros, qui eorum vsurpationem haud tulissent, è medio tollere cogitabant.

Operæpretium verò est de ipsorũ factis sequentibus ex hoc principio iudicare: & ex hac causa æstimandæ sunt illorũ effectiones, quas paulò post & adhuc hodie, vt multifariè gratiores reddant, metamorphosi calumniosa transformarunt. Verùm vt natura aquæ nusquam melius dignoscitur quàm in scaturigine, vbi adhuc simplex & immixta est: ita natura actionum humanarũ nonnisi ex suis principiis & originib. deprehẽditur, antequã accidentia, quæ experimur, artificia nobis reuelarint, ac discriminandi scientiã aperuerint.

Quamobrem Principe Condæo durissimo carcere custodito, paratoq; ei ex-

tremo capitis ſupplicio, moritur ſubitò Franciſcus II, ad V Decembris, anno MDLX (ſub cuius nomine & authoritate primum gradum tenebāt Lotharingi, quia Reginam Scotię neptem eorum vxorem duxerat) tuncq; ereptam ſibi hanc dominandi anſam animaduertentes, prætexti formam è veſtigio mutauerunt, cauſa tamen eadem ſemper manente.

Lotharingo rũ fraudes, technæ, immanitates, & ſcelera, quibus ſtatum Reipubl. & Eccleſiæ in Gallia pertu ba ũt Caroio IX regnante ab anno LXI ad annũ LXXIII.

Cùm enim cernerēt ſe à Comitiis ordinum generalium huius regni legitimè ſtatim poſt mortem Franciſci II conuocatis, & ad Pontoſiam habitis interpellatos eſſe ad rationem actionis & adminiſtrationis ſuæ reddendum, φιλαρχίαν ſuã zelo Religionis Catholicæ obduxerunt: illi ſcilicet, qui ſimulanter quatriduo antè Principibus Germaniæ certam ſpem fecerant de Auguſtana confeſſione amplectanda; aperto Marte bellũ geſſerunt exordientes à ſtrage Vaſſiacena, in qua magnum fidelium verbi Dei audiendi cauſa congregatorum numerum, nullo ſexus, ætatis cõditionisve diſcrimine habito, deinſperato adorti obtruncarunt; pacem & tranquillitatem publicam hoſtiliter

ſtiliter violarunt, ad quam fouendam vtriuſque Religionis exercitium neceſſarium viſum fuerat in Comitiis generalib. vnde ſolemne Edictum ab omnibus Parlamenti Curiis ratum habitum emanarat, quod nec violẽtia, nec metu, nec ambitu conditũ; ſed ſolo Reipub. tranquillitatis & vtilitatis reſpectu decretũ fuerat. Præterea armata manu Regem Carolũ tunc puerum, Fontebellaquæo Melunũ vſque dolorem ſuum lacrymis teſtantem deduxerunt & occuparũt: Reginam etiã matrem, quæ prudenter calculo ſuo Edictum illud comprobauerat, reluctantem in ſuam poteſtatẽ redegerunt: quæ poſtquam Principum cõſanguineorum Regis fidem cõtra Guiſiorum tyrannidem imploraſſet, iuſto timore victa, eorũ potentiam ſequi, & libidinib. animi improbis authoritatem facere coacta eſt. Quæ eò ſpectarunt, euentu rem ipſam teſtificante, vt Regis pueritiam oppignerarent ad odium ad bellum contra genus ſuum exercendum, ad regnum debilitandum, ſuiſq; inſidiis obnoxium reddendum, vtque inter arma viuentes & regnãtes po-

In conuentu apud ſanctũ Germanum ad xvii dẽ conditũ fuit Edictũ quod Ianuarii vocatur.

tentiam & authoritatem regni ſibi vindicarent, quo aliquando abuti ex libidine queant.

Quod eò vſq; ſunt aſſecuti, vt hoc regnum ab hinc vigintiquinq; annis ciuilibus bellis conflagrarit, quorum adminiculo inimicitias ſuas ſuſtentarunt, vindictas expleuerunt, ambitionem ſuam non mediocri Regis regniq; diſpendio promouerunt, atque etiam execrandis & funeſtiſſimis conſiliis ſuis non leui infamia notatum eſt gentis Gallicæ nomen, cui malorum illorum cauſæ adſcribebantur, quæ illa ſibi intulit ſuaſu fatalis illius ſtirpis Lotharingicæ, donec Rex Henricus hodie regnans, prudentia ſua agnouit zelum illum Religionis, quẽ Guiſii ſibi arrogant, prætextus loco tantũ aſſumi; Religionis verę ſpiritum, quo pius agitur, nõ iubere, vt publicis legibus vis afferatur, vt iuramenta periurio violentur, regna cædibus & ſanguine repleãtur: ideo Lotharingos aliquid monſtri alere & altũ abſq; dubio ſapere. Itaque ad hos conatus præuertendos, componendas eſſe turbas regni pace ęqua & prę ſenti diſpoſitioni cõ-

uenienti:

uenienti: Deo, qui ſolus conſcientiis imperat, concedendum eſſe, vt ſubditorum corda conciliet, & ad vnius Religionis conſenſum reducat.

Verum enim verò quamuis pax ſancita fuerit non vi, ſed libero Regis conſenſu, qui idcirco pacem ſuam nominari voluit: attamen progenies hæc Lotharingica nihil pacis in pace cogitare vnquã potuit: contra omnibus artibus eam inuertere conata eſt, coniurationis ſocios adornauit ad Religionis orthodoxæ ſtudioſos prouocandos, vt opprobriorũ & contra ius admiſſorum omni genere, laceſſiti & impatientia victi, per deſperationem ad arma confugerent, hacq; ſubdola ratione Regi occaſionem præberent, rurſum Guiſiorum manus armatas aduerſus pios committere. Quibus artibus vbi ſe minus proficere intellexerũt, cum ipſis veræ Religionis ſtudioſis poſtea inſtanter egerunt, vt ſecum contraherent Boni publici obtẽtu omnimodam Religionis libertatem & cautionem de ea qualem optarent; ſtipulantes, nihilq; intentatum relinquentes, quò regnum nouis ſeditio-

Lotharingorum conatus impios, ſocietates, artes & crudeliſſima conſilia, quibus ſub Henrico III pacẽ publicã labefactarunt vſque ad annum LXXXV.

Nota.

nibus peſſundarẽt; cuius quietem & trãquillitatẽ non ignorant conatus ſuos oppugnare & expugnare.

Denique cùm animaduerterent Regem omnino decreuiſſe pacẽ tueri, Religionis ſtudioſos nihil antiquius otio habere, inprimis verò Ducem Andegauenſem diem ſuum obiiſſe; ipſum Regem ἄτεκνον, id eſt, ſine liberis eſſe; cui ſe ſuperſtites fore exiſtimant opinione quadã ex nulla alia cauſa quàm ex regnandi libidine concepta, cuiq; vt omnibus conſtat, breue vitæ curriculum metiuntur: tandẽ omnes ad arma concurrere, & Maieſtates regias intercipere (quod reipſa præſtitiſſent, niſi maturè eorum conſilia patefacta fuiſſent) & potiorẽ huius regni partem inuadere conſtituerunt, vt ad eam, quam agitant, mutationem exequẽdam paratiores eſſent; atque quo plures huius coniurationis ſocios ad ſe allicerent, varias cauſas, variosq; prætextus veritati ex diametro repugnantes commenti ſunt, & publicè ediderunt ad obſequendum diuerſis hominum ſtudiis & animi libidinibus, vt illis poſtea abutantur: interea vene-

venenum, quod in sinu fouent, præclaro Antidoti titulo velantes.

Hi prætextus & protestationes fuerũt, Bonum publicum, Plebis immunitas, Redintegratio Nobilitatis in decus auitum, Restitutio Ecclesiæ in suam libertatem & authoritatem; depressio nonnullorum, quos Rex in summo gradu collocauit; assertio eorum, qui se indignè acceptos esse conqueruntur; designatio Catholici cuiusdam Rom. qui Diademati regio succedat & Ecclesiam Rom. tueatur; hæresis extirpatio, & eorum, quos p hæreticis habent, perditio. Quæ omnia stipulati sunt se executioni mandaturos, antequam arma deponãt: Quibus tamẽ omnibus qua ratione fecerint satis, notũ est. Causa certa immota semper mansit, & sola aliquos effectus certos in lucem edidit; scilicet vt armati legem Regi præscriberent, vtque velo perdendorũ hæreticorum Principes, Regis consanguineos è medio tollerent, nec non eos qui conatibus suis sunt impedimento, nempe studiosos veræ Religionis, in qua nati & educati sunt, vt illis deletis facilior sit cæterorum ruina.

Summa literarū Regis Galliæ ad Regem Nauarræum.

Quod ſane reipſa Regi innotuit ab horum motuum exordio vſque ad finem. Crebris enim ad Regem Nauarræum literis teſtificatus eſt ſe agnoſcere zelum illum Religionis, Lotharingis tantum eſſe veli loco: eorum ſcopum, in quem collimentſe eſſe, genus ſuum, & regnum. Interea quoniam hoc obtentu multos ſubditos fefellerant, rogare vt patienter ferret, donec adulterinos eorū colores à veris cauſis diſcriminandos omnibus exhibuiſſet, confideretque ſe agnoſcere hanc coniurationem in ſe directè tendere, & contumeliam propriè ad ſe pertinere.

Ex eadē teſtificatione & ſententia Maieſtas ſua diſertis mandatis præcepit gubernatoribus & præfectis prouinciarum omnibus, vt copias eorum cæderent, eos etiam rebelles, perduellionis reos, publicæ tranquillitatis perturbatores & regni hoſtes publico decreto pronuntiauit, qđ in omnibus Curiis Parlamenti huius regni ratum eſt habitū, multa iudicia ſubſecuta, multiq; coniurati extremo ſupplicio affecti. Similes etiam huic decreto literæ ſcriptæ ſunt ad Reges & Principes huic

huic regno vicinos; Legatisq; Maiestatis regiæ præceptum est, vt orationem congruentem his narrationibus ad eos haberent, nempe Maiestatem suam ex Lotharingorum effectionibus præteritis & præsentibus comperisse, & agnoscere ex actis & testimoniis suprà commemoratis hãc ipsorum commotionem, quibuscunque eam induant coloribus, verè primarũ indiarum effectum & coniurationem esse vt stirpem Frãcicam pessundent. Quod nemo nesciet, qui omnes eorũ actiones abhinc vigintiquinque annis ob oculos sibi proponere voluerit, vt eas vno intuitu contemplari queat.

Tum verò Maiestas regia eo tempore quo rebelles eos pronunciauit, Edictum suum pacificationis, in omnibus regni sui locis publicari curauit, vt omnib. & præsertim Religionis studiosis testificaretur, se nullo modo coniuratorum petitionib. subscribere velle: imò eos disertè improbabat, quod Religionẽ armis delere cogitarent, illudq; medium neque conueniens neque legitimum esse iudicabat.

Edictũ pacis mense Nouemb. MDLXXX, sancitũ, rursus Regis mãdato anno LXXXV, præconio promulgatur.

Rex etiam non paucis ad Regem Na-

uarræũ literis ſcriptis ſæpe affirmauit ſe nullum in Edictũ ſuũ, aut Regem ipſum Nauarræum (cuius cauſam ſuam eſſe agnoſcebat) præiudicium facturum.

Cõiurati ex eo quẽdã Rege Edictum MDLXXXV, menſis Iulii XVIII, quo exercitiũ veræ religiõis ſub capitis pœna interdicitur, &c.

Accidit nihilominus, vt repente pax quædã inita fuerit cum Lotharingis prędictis ſacrique Fœderis ſociis, ex qua Edictum in felix emanauit, quo edictum pacificationis graui iudicio ſtatutum & ſolemni iuramento à Rege Reginaq; matre, à Principibus Regis conſanguineis, ab omnibus Parlamenti Curiis, ab Optimatibus, Procerib. & Adminiſtris Regni huius ſancitum, ac recenter adhuc repetitum & cõfirmatum, omnino tamẽ antiquatum eſt; Religionis exercitium ſub capitis pœna prohibitum, eiusq; ſtudioſi proſcripti, intra ſex menſes regno egredi iuſſi, vrbes ſecuritatis cauſa ipſis à Rege conceſſas, & vltrò poſtea iuſtiſſimis de cauſis bonum & tranquillitatem publicã ſpectantibus prorogatas, in promptu tradi & deſeri mandatur. Eaq; omnia facta ſunt, vt cum illis rebellibus & coniuratis à Regia Maieſtate iudicatis & publicè damnatis pax redimatur, in conſanguineorum

rum Regis perniciem, quib. etiam (quod multò peius est) arma tradūtur, vt eos ad internecionem vsq; persequantur. Rem sane omnibus legibus repugnantem, quę nunquam concedunt, vt decreti executio parti aduersæ committatur, vel ei interfit, imo ne ad Magistratui quidem in executione subueniendum.

Itaque rogat hoc loco Rex Nauarræus generosos omnes Frācos, quotquot sunt in Gallia, vt diligenter attendant, quam graues conquerendi causas habeat; quod quamuis coniurati in protestationib. suis directè eum insectarentur: attamen vt Regi morem gereret, & populi calamitates quæ ex bello oriūtur, respiceret, ab omni motu abstinuit; nec vnquam arma sumere voluit, etiamsi se aduersariorum armis vndiq; obsideri ac Regis animum ad pacem cum illis ineundam mutatum cerneret. Quamuis etiam internecio & damnum, quod apertè hac pace ei moliuntur, iustam materiam subministrabāt, vt eam omnib. modis traiiceret & interturbaret: nihilominus in bonum huius regni, rationes ineundæ concordiæ Regi

patefecit, Bergeraci menſe Iulio LXXXV, declaratione ad id expreſsè edita; quas huiuſmodi eſſe ſperat, vt eas omnes Chriſtiani imò inter Barbaros ferociſſimi ſint amplexuri.

Ratiões ineundæ pacis à Nauarræo Rege patefactæ.

Agebant coniurati de hæreſibus extirpandis, quas certum eſt veteres non armis ſed conſiliis oppugnaſſe: Ipſe verò cõcilio legitimo ſe ſubiicit, & teſtatur paratum ſe eſſe doceri, & in eo quod decretum erit, ſtare. Cupiebant in iis, quæ ad politiam regni pertinẽt, nonnullam mutationem & reformationem fieri; ſed hæ controuerſiæ in comitiis generalibus iuxta huius regni leges antiquas decidũtur; ipſe verò teſtabatur ſe omnia in Comitiis trium ordinũ reponere, eaq; ſubire paratum eſſe, quotieſcunque conuocare Regi placuiſſet. Prætendebant deniq;, vt Rex Nauarræ & cæteri veræ Religionis ſtudioſi ex vrbib. ſecuritatis cauſa datis, haud obſtante prorogatione temporis à Rege conceſſa, continuò diſcederent: ipſe verò ad omnem ſcrupulum tollendũ, eas ciuitates manibus Regis abſque mora vlla reſtituere offerebat, ac etiã, quod maius

maius est, se, nec non Principem Condęũ præfecturis, quas in hoc regno obtinent, cessuros, dummodo prædicti Lotharingi idem præstarent. Constat tamen omnibus speciem inæqualitatis iniustæ esse, vt filii cum peregrinis æquentur. Cæterum si aliqua supereſſet controuersia, de qua cum eo disceptare optarent; ne propter eam Regis capiti periculum crearetur, quod vniuerso regno detrimento esset: Rogabat Rex Nauarræus regiam Maiestatem, vt assentiretur, vt virib. suis & aduersariorum copiis cõponeretur: vel, vt calamitatibus Reipub. compendiosè cõsuleretur, duello inter se & Guisium vel plures vtrinque commisso transigeretur, siue id committi in regno vel extra regnũ in loco liberi accessus ei placeret. Addebat etiam, quòd si commodiores alias rationes ad statum regni conciliandum excogitare posset, libenter se eas cum capitis sui periculo amplexurũ, supplexq; petebat à regia Maiestate, vt si quas aptiores animaduerteret, eas sibi patefacere dignaretur.

Interea spretis omnib. illis æquissimis

conditionibus, vlterius perrectum fuit in prædictæ pacis negotiatiõe & cõclusione magno cum regni, stirpis regiæ ac Regis ipsius detrimento. Pax equidem illa hoc præclaro nomine indigna: nam satis oẽs iudicant eam esse sæuissimi belli primordium, & fortè (quod Deus auertat) huius regni excidium; pax cum exteris inita ad ciues subuertendos; cum contumacibus ad obedientes perdendos, cum coniuratoribus, & illis gladium traditum, quo in tradentis perniciem pro arbitrio abutantur: pax reuera, quæ nihil habuit quod pacem sapiat, sed tota lugubris, funesta & mali augurij nuntia, quam Rex nisi manu titubãte obsignauit, quam Principes Regis cõsanguinei & Optimates huius regni, etiam Catholici non secus ac mortis suæ casusq; regni decretum iurare recusarunt: quæ denique nec agris nec vrbibus profuit; omnes huius regni generosos incolas horrore affecit, ac eos solũ qui ex eius interitu saginantur, lætitia afficit.

Equidem Rex Nauarræus illam pacẽ agnoscit meritò Regi tribuendam nõ debere,

bere, à cuius natura nimis procul abest, nec Reginæ matri, quam suis consiliis & laboribus huic regno tranquillitatem restituere voluisse credibile est; sed partim adscribendum nonnullorum Regis consiliariorum pusillanimitati, partim perfidiæ; quorum alii Sacri fœderis coniuratorũ ministri, alii cognati vel affines sunt; quos constat ab initio Regi morbum extenuasse, & ei mederi facillimum esse, ne remediis accurreret; subitò verò adeò grauem proposuisse, cùm coniuratorum copiæ inualuissent, vt facilè ipsi persuaserint opprimi ab eis posse, nisi promptè eis satisfaceret. Constat etiam multos huius generis aulicos cultus prætextu Reginã comitatos fuisse, qui ipsius arcana explorabant, & coniuratis indicabãt: & ex Reginę cubiculo egressi, statim consilia cõferebant, quæ postea ei suggererent; qui denique vt Regem perterrefacerent, formas exercituum in coniuratorum subsidium concurrentium ei deliniabant; qui tamen nusquam apparuerunt, nec nisi in aêre extiterunt. Hoc improbo cõsilio deflexus & abductus Rex fuit, quo minus

Cõsiliarii reges Galliæ, Achitophelis & Doeg, imitatores.

consanguineorum suorum opera contra coniuratos vteretur, quibus certe nec animus, nec robur defuit vt eum ab omni periculo & damno vindicarent. Verùm in huius beneuolentiæ remunerationem peregrinis venales exponuntur, eorumq; sanguis & vita, veluti pretio cõductis traduntur: hoc eodem etiam consilio repudiatum fuit beneficium quod vltrò obtulerant Principes vicini, fideles Diadematis huius regni confœderati: interea aurũ Hispanicum in Gallia dispergebatur latissimè, & Sacrum fœdus in ciuitates, in consilia etiam secretiora sese insinuabat. In summa, Rex ab iis proditus est, quibus sua se credere posse meritò existimabat, si modo beneficia quæ in illos consiliarios & coniuratos contulerat probos illos efficere potuissent: nec probatiõe opus est, cum id omnibus sit conspicuum: confidit tamen Rex Nauarræus, etsi proditores illi sint artibus & viribus suis id assequuti, vt Regis brachium aduersus ipsum & Christi Ecclesiam armis induerint, saltem Regiam Maiestatem suspiriis, votis, & precibus suis pro consanguineorum

suorum

ſuorum,& piorum ſubditorum ſalute & defenſione pugnaturam : quorum cauſam ſuam eſſe agnouit ſæpiſſime, nec fieri poteſt vt ſuam hac de re teſtificationē obliuioni tradiderit.

Sperat etiam idem Rex Nauarræus, huius regni prę̄cipuos Optimates, qui iudicio valent ac coniuratorum actiones attenderunt, atque etiam iis operam ſuā nauarunt, baſim huius Sacri fœderis, & quàm altè conſurgat ex fundamento diligenter perpendiſſe: atque ideo confidit eos tam peſſimè honori & dignitati ſuæ haud conſulturos, vt nouiſſimi huius Edicti obtentu contra ſtirpem Regiam arma gerant: eorumque etiam conſcientia teſte iuris limites tranſgrederētur, ſi pro illis prætextibus, qui in coniuratorū proteſtatione continentur, aut pro Religionis Catholicæ Romanæ ſecuritate arma ſe ſumpſiſſe exiſtimarent.

Probatur vanos fuiſſe cō iuratorū p̄textus ex Edicto quod à rege extorſerunt.

Nā coniurati varios prætextus induerant: attamen vti in nonnullis exquendis dubiam fidem prę̄ſtiterunt, probabile eſt in cæteris idem facturos. Quod ad bonū publicum attinet, de quo gloriabātur, &

cuius gratia non pauci nobiles ab ambitione, & huius ſeculi corruptelis abhorrentes ad bellum incitati erant, nulla facta eſt in edicti negotiatione de eo mentio, ac eius patrocinium primo quoq; die deſeruerunt.

De tertii ſtatus, id eſt plebis exoneratione, quam magnificè pollicebantur, nihil in hoc pacis tractatu petitum eſt inſtãter, cõtra hac ratione in grauiorum onerum, & extremorum excidiorum periculum populum adduxerunt. Nam quod in declaratione ſua recipiebant, ſe milites ſuos à depopulationibus prohibituros, & quod inſumerent perſoluturos; cõſtat tamen in huius regni motibus & bellis ciuilibus omnibus infeſtiores deprædatores milites non extitiſſe iſtis Sacri fœderis, & Lotharingorum commilitonibus: denique proteſtati erant, ſe in vrbes Regias nihil molituros, neque ipſis reluctantib. & non aſſentientibus præſidia impoſituros, quas tamen partim contra fidem datã vi occupauerunt, partim in illis, in quibus vltro, ſub bonæ fidei obtentu admiſſi ſunt, arces imminentes ædificauerunt,

runt, & præsidium collocauerunt.

Nobilitati non secus est satisfactũ. Nã in hoc pacis fœdere, cuinam præterquam sibi & suo generi consuluerunt? Quosnã etiam dignitatibus suis restituerunt ex illis qui se indigne depositos esse cõquerebantur? deniq; toti fuerunt in eo, vt Galliam erciscerent, & suis diuiderent, prout eius aliquando occupandæ consilia iamdudum agitarunt: neque ipsa obtinuerũt per hanc pacis transactionem, vt politeiarchiæ plures magni momenti, & præfecturæ nonnullarum prouinciarum partim in medio, partim in liminibus Regni sibi concederentur.

Hoc verò loco cogitet Nobilitas huius regni, quid ab illis emolumenti sperare debeat, cũ viginti quatuor Principes Lotharingicos famelicos expleri ad sacietatem & placitum prius necesse sit, quàm vnus ex Nobilibus Francis ad honoris gradũ euehi ipsorum adminiculo possit.

De promouendis etiam Ecclesiasticis decẽter & legitimè ad functiones dignitates; Ecclesiasticas in hac pacific tione nihil pensi habuerunt, nec non de illorũ

prærogatiuis, immunitatibus & priuilegiis, teſtis eſto collegium Auguſtodunēſe, à quo Dux Mainius priuignum ſuum Epiſcopum deſignari vi impetrauit. Æquum tamen erat, cùm Religionis Catholicæ prętextum induiſſent, illos in primis iuxta concilii Tridentini canones hunc articulum ſtudiosè curaſſe. Inquiratur verò in illorum mores, manifeſtiſſimum fiet eos monaſteria & ſacerdotes concuſſiſſe, calices, cruces & reliqua tēplorum ornamenta diripuiſſe; omnia denique iuris militaris obtentu occupaſſe; imò cùm de pace tranſigerent, egerunt de bonis Eccleſiaſticis alienādis ad centum millia aureorum cenſus annui; ac de Papæ conſenſu procurādo, & ſponderi ſibi curarunt ad ſumptus in motibus ſuis factos compenſandos; veſtigiis hac in parte hærentes defuncti Caroli Cardinalis Lotharingi, qui primus bona Eccleſiaſtica venalia fecit. Ex quibus omnibus cōſtat coniuratos ea omnia quæ bono eſſe poterant tribus regni ordinibus neglexiſſe, & ſtatim ab exordio negotiationis pacis eorū ſtudiū & petitionem præciditſe.

In ſeſſiōe 22 concil. Tridentini pœna anathematis pronūciatur cōtra eos qui bona Eccleſiaſti a vi aut fraude occupant. Cui decreto Lotharingi ſubſcripſerūt & eò ſunt pro excōmunicatis habendi.

Quod

Quod attinet ad immẽſam illam gratiam, qua Nobiles nonnullos Aulicos apud Regem nimium pollere querebantur, quos populi Hirudines in ſua declaratione nominabant, quos etiam deiicere & in ordinem ſuum reducere præ ſe ferebant; certiſſimum eſt cõiuratos illorum beneuolentiam omnibus modis ambiuiſſe, atq; eam redimere voluiſſe reſtitutione earum ciuitatum, quas ad illorum Curationem pertinentes bello ſubduxerant. Verùm ſumma cum coniuratorũ ignominia nobiles illi fortitudinis & magnanimitatis documenta edentes, reipſa oſtenderunt eorum ſe priuatis cõmodis non permoueri, nec eorum amicitiam gratam habere, niſi quatenus Regno vtilis eſſet.

Cardinalem verò Borbonium in hãc ſcenam productum (cui ius regiæ ſucceſſionis ab eo controuerti poſſe perſuaſerant, pollicitiq; erant, ſe, antequam arma deponerent, effecturos, vt enucleretur) pari ludibrio habuerunt, prout ſolent aliorum iura ad ſuum inflectere commodum. Nam ex quo fœderi obnoxium eũ

viderunt, iuris istius, quod eius animo effixerant, obliti, ne minimam quidem cũ Regina matre paciscentes, mentionẽ fecerũt. Si verò quæstio fuit in tractatu pacis de re acerba & spinosa, ad eam tractãdam & proponendam Cardinali tanquã instrumento vsi sunt; illi verò in mitigandis controuersiis & personis reconciliandis primas partes sibi sumpserũt, vt ita ex pacis negociatione odium in Cardinalẽ, gratiam verò in se deriuarent.

Interim vnum erat hoc caput præcipuum, quod maximè vrgebant in sua protestatione, tanquam necessarium ad Religionis Cathol. Roman. conseruationẽ, curare, vt Rex successorem nominaret, qui eã profiteretur; & hoc obtentu quẽadmodum & aliis coloribus bonũ publicum spectantibus multos Nobiles ad suas partes traxerant, quod eos id agere serio existimarent. Sed coniurati ad hunc scopum, quem tandem attigerunt, sagittas omnes suas direxerunt, vt ciuitates in limitibus regni munitissimas tãquam claues occuparent; quas ne Duci quidem Andegauensi tradere cõsultum antea visum

ſum fuerat; vtq; prætextu Religionis armorum potentiam ſemper apud ſe retineant, vt pro arbitrio conſilia omnia moderentur, legẽ Regi, quandiu viuet, præſcribant; Principes Regis conſanguineos ac fidos ſtirpis Francicæ miniſtros excindant; deniq; vt poſt Regis mortem, quã imminere exiſtimant, hoc regnum vſurpent & inuadant.

Probabile verò non eſt eos poſſe funditus veram Religionem euertere, cum fruſtra ab hinc viginti quinque annis id aſſiduè tentarint. Reges noſtri ad id perficiendũ nullis in pace artibus, nullis belli inclementiis pepercerunt: huius fœderis Sacri authores omnes ſuas copias & technas adhibuerunt; cuius certè egregium nomen vires illorum nõ auxit, nec eos præſtãtiores belli duces reddidit, nec milites nouæ fortitudinis peperit. Francia eadem eſt, quæ fuit olim, cuius pars potior ad Franciam perdendã opem nõ præſtabit. Præterea confœderatorum prætextus fallaces patent omnibus; nemoq; eſt, qui nõ videat ſtirpem Francicã à progenie Lotharingica inuadi: quæ res

Religio expugnari nequit.

Regis Nauarræi vires & animum, Diadematis huius regni, Optimatum, Principum consanguineorũ, Regis ipsius votis, omnium generosorum Francorum vtriusque Religionis precibus & auxiliis augebit, & tantũdem hostium cõiuratorum robur infirmabit. Adde, quod inanis est denunciatio consignationis Crucis, vt olim contra Albigenses factum est. Non enim Religio vera in quodam Galliæ angulo nunc inualuit; nulla est pars, nullum membrum, & nullæ corporis fibræ, quæ ei non adhæreant. Nec sola est Gallia, quæ Religionis reformationem amplexa sit: Eam omnes Europæ nationes & ordines summo studio prosequũtur: integra regna à Papa defecerunt, imperium potiori ex parte ab huius tyrannide abhorret; vixque vllus in eo status est, qui propter illam commotus non fuerit. Atq; omnium ordinum homines in repellendo communi hoste vbique cõsentiunt, & proximis laborantibus opem ferunt, pericula vitare & propriæ saluti cõsulere norunt.

Cõsensus omnium Europæ nationum de reformatione Religionis persequẽda, sympathia, & auxiliorũ mutua collatione.

Equidem nullus in Europa Princeps, cuius-

cuiuſcunque ſit Religionis, inuenietur, cui inſolens hoc non videatur, vt prætextu Religionis, indicta cauſa, & contra leges patriæ quiſquam Principem à ditione & ſucceſſione legitima excludere conetur. Conſtat enim ex hiſtoriis, quales ſint perturbationum animi, ambitionis & inuidiæ effectus. Minima quauis occaſione hæreſis crimẽ cuilibet effingi poteſt. Hæreticus fuit Philippus quartus, cognomine Pulcer, quod Papæ Bonifacio hoc regnum fide clientali ſubiicere noluerit; ac tanquam hæreticus ab illo & fulminibus Excõmunicationis proſcriptus fuit. Pontifices qui præceſſerãt, & ſubſecuti ſunt, ſeeus decreuerunt; quòd iis non darent locum affectionibus, quib. indulgent illi, qui Regem Nauarræum proſcribi, & tãquam hæreticum Regiæ dignitati ſuccedere non poſſe clamitant. Hanc controuerſiam Comitia regni & concilium legitimum dirimet: qui illud vitat, lumẽ & rationem euitat, iniuſtitiam & tenebras amat, Religionemque ſe in vanum aſſumere ſatis docet.

Anno 1289, Excommunicatus Rex Philippus à Papa Bonifacio per Nogaretum & Sarrum Columnam, eũ in ordinem redegit, multumque fulminibus Paparum detraxit.

INTEREA cùm infeliciter acciderit, Proteſtatio.

vt Rex partim vi & hostium coniuratione oppressus, partim malitia & collusione nonnullorum consiliariorum impulsus & coactus fuerit ad pacem ineundã, ex qua nisi maturè consulatur, haud dubiè tum ipsius casus, tum stirpis Francicæ perditio, tũ regni diuulsio subsequentur. *Proteſtatur & declarat Rex Nauarræus primus Regis conſanguineus, & primus Par huius regni, proteſtãtur etiam Princeps Condæus, conſanguineus eius regiæ ſtirpis Princeps, & Par Franciæ, nec non Dux Mommorancius Par Franciæ & primus Adminiſter, cum Optimatibus, Equitibus, Nobilibus, Prouinciis, ciuitatibus vtriuſque Religionis ad huius regni conſeruationem confœderatis, hæc quæ ſequuntur:*

Primum ſcopum ſuum non alium eſſe, nec vnquam fuiſſe, quàm vt Rex à ſubditis legitimè colatur, atque ei pareatur; omnibusq; ſe exemplum præbuiſſe obedientiæ iuxta gradum honoris debitum, vt patet ex recentis memoriæ teſtimoniis; ſe etiam nihil magis cupere, quàm vt huius regni ſtatum in ea tranquillitate reſtitutum intueri queant, in qua ante hos con-

coniuratorum motus incœperat. Atque in hunc finem, se ex animo vtram fortunasque omnes exposituros aduersus eos qui Regis ac Regni pacem & tranquillitatem perturbarunt, & adhuc perturbãt.

Quoniã autem ante hac media quædam Regi proposita sunt, quæ idonea videbantur tum ad Religionis, vel status controuersias dirimendas, tum ad lites quas coniurati aduersus Principes Franciæ, inter quos Rex Nauarræ primum locum tenet, intentabant disceptãdas: Supplex petit à Regia Maiestate, vt illa media & conditiones oblatas in memoriam reuocare velit quæ in declaratione sua chirographo suo obsignata, & postea x Iunii, anno MDLXXXV, publicè edita, cõtinentur: quòd si rationes aliæ ei proponantur, beneplacito Regis & regni bono cõuenientes, libentissimè non solum eas audiet, sed beatũ se dicet si illis coram Deo & hominib piè & honestè subscribere possit.

Sed quia coniurati diserte vrgent, vt Ciuitates securitatis ergô concessæ quãprimum restituantur, ac nisi id fiat, aperto Marte eas expugnare statuerunt. Sup-

plex petit Rex Nauarræus à regia Maiestate, vt reminiscatur, quemadmodum mense Decembri anni 1584, prædictas ciuitates vltro sibi progauerit, pace vim suam adhuc obtinente, idq; iuxta supplicationes humillimas subditorum suorũ vtilitatẽ spectantes, quæ ei exhibitæ fuerant, quas etiam paci huius regni conuenientissimas iudicauit; vtq; apud se cogitet, quod postea coniuratorum impulsa armis & viribus multò plures immeritò eis largita sit, qui in seipsam, in genus suũ & regnum insurrexerunt. Non enim solùm illæ vrbes, quas cõfœderati occuparunt, adhuc in ipsorum remanent potestate, sed aliquot eis insuper traditæ, quas duorum annorum spatio bello expugnare non potuissent. Quamobrem prædictus Rex Nauarræus, nec non huius status fideles subditi & ministri iustè petere possunt à Rege, vt loca munita denuò sibi concedat, in quibus tutò consistere, & ab iniuriis coniuratorum se tueri possint: idq; eò magis, quòd illi ciuitates & arces in extremis Regni partibus terra mariq; possident, quibus peregrinum militem

pro

pro arbitrio introducant. Nihilominus prædictus Rex Nauarræus rursus hanc conditionem luculentam largitur, se oēs supradictas vrbes securitatis gratia à Rege vltrò prorogatas derelicturum, dummodò Lotharingi & eorum confœderati ab iis quas occupant, reipsa discedant, arma deponantur, extranei dimittantur, ac ipsi domum suam se recipiāt. Quod si spretis adeò iustis conditionibus, castra mouentur in Regem Nauarræū, in Principem Condæum & Ducem Mommorancium, aut in horum alterutrum, aut in socios; rogant, quantum possunt demissè Regem ne ęgrè ferat, si consilium à natura & necessitate repetant, quæ vim vi repellere docent; ac omnes suos suaque omnia in eam rem impendant; idque eò magis, quòd non disceptabitur in Aquitania de Aquitania, nec non in Occitania de Occitania; nec in Dephinatu, Prouincia, & aliis locis de sorte Regis Nauarræi, aut Principis Condæi aut Ducis Mōmorancii; sed absque dubio de sorte & libertate Regis & Reginæ matris, de legū cōseruatione & totius regni defensione;

denique confidunt, quamuis *arma Regis inuaserint*, ipsum tamen animum suum sibi veluti fidis subditis deuouisse; & hæc fiducia cordis & animi vires ipsis ingeminat.

Reginam etiam matrem obtestantur, meminerit, quàm durè ab ista Lotharingorum progenie habita fuerit, cùm sub Francisco II regni habenas tenerent, ac temporis progressu quàm inexplebilem ambitionē in illis obseruarit; ipsa, inquā, Regina, quæ prima filiis suis veris coloribus eos depinxit ac notauit: caueat etiā ipsa inprimis, ne elogium, quod Matris regni nomine adipisci potest, in Nouercæ vocabulum à posteris commutetur; quòd scilicet regni exitio viam strauerit, ac illud exteris deprędādum propinarit; pacem publicam fregerit, vt prauis hostium publicorum animi libidinibus obsequeretur, & proximis suis, & obsequētibus eam pœnam intulerit, quam duplo extranei contumaces & seditiosi merebantur; quòd si iudicasset prudentia sua consultum esse, vt coniuratorum arma eneruarentur per huius status pacificationem,

onem, saltem pax generalis concipi poterat, cuius beneficio statui Religionis & Reipub. commodè prospectum fuisset.

Obestatio p iuramenti exactionē.

Nunc Rex Nauarræus, Princeps Cōdæus, Dux Mommorancius iureiurando adigunt & obtestantur omnes Principes Regis consanguineos, vt seriò agnoscant, & meditentur de suo sanguine & genere hic agi: Pares & primarios huius regni Administros de iuramento, quod Diademati regio præstiterūt, & officio quod exequi debent, hîc agi; Nec n[illegible] omnes Curias Parlamentorum de præcipuis regni constitutionibus, quarum sunt custodes, hic agi: Denique omnes Ordines & status huius Regni de ipsorum casu & familiarum confusione hic agi. Quis enim quietem priuatam polliceri sibi potest in motu publico? quis mari commoto credat se posse prosperè nauigare? quis statum certum retinere se posse putet in status mutatione? quis libertatem priuatam asserere in publica grassatione?

Obtestantur pariter omnes Ordines & Principes exteros, socios & confœderatos huius regni, vt sibi in hac quā susci-

pere coguntur, defensione, iusta, opem ferant, Ecclesiæ Christi laborantis misereantur, neque patiantur à Sacri fœderis coniuratis regiam stirpem Euangelium in Gallia profitentem, totq; millia piorũ opprimi & extingui; ex quorum clade & interitu omnibus Christiani orbis ordinibus, qui Pontificis iugum excusserunt, graue periculum imminere sapientes iudicant.

Protestantur etiam coram Deo cordium inspectore & coram omnibus hominibus quos actionum suarum iudices constituunt, se deplorare conditionẽ Regis foris obsessi, & intus hostium suorum coitionibus & præuaricationibus implicati, seq; arma pro Regis salute, libertate & obsequio sumpsisse. Vtinam verò Regi placuisset piorum subditorum opera & virtute vti: breui enim temporis spacio eum ab his omnib. angustiis liberassent.

Quod verò ad Religionis negotium attinet, prędicti, Rex Nauarræus, & Princeps Condæus declarant ex animo, fidẽque & dignitatem suam in huius protestationis testimonium oppignerant, se de

damno

damno Catholicis quoquomodo inferẽdo non cogitare, neque Religionem Roman. quam profitentur, interturbare velle; vtpote qui semper existimauerint cõscientias non cogi sed persuaderi debere; Paratos se etiam esse controuersias, quæ de negotio Religionis agitantur, concilio legitimo subiicere: Deniq; se omnes fidos & probos Frãcos, politicos & Ecclesiasticos, cuiuscunque sint conditionis, absque exceptione aut acceptione Religionis vnicè amplecti, eos & eorum conscientias, honores, dignitates, bona, salutẽ & familias æquabiliter sub clientela & tutela sua se ponere, ad eos pro virili ab omni iniuria & vi, tuendum & vindicandum.

Hortantur omnes & singulos, vt in animi beneuoli testimonium ad se accedant; pro facultatibus auxilia conferant aduersus coniuratos, quos Rex apertè testificatus est in salutẽ suam, diadema suũ ac regnum conspirasse.

Ad scrupulum verò omnem Catholicis Rom. tollendum, Dux Mommorãcius de cuius Religione non dubitatur,

cuius etiam prudẽtia, & ſagacitas explorata ſatis eſt, qua Regis Nauarræi & Principis Condæi animum & ſcopum probè dignouit, viã illis præbebit & anteſignanus erit. Ille, inquam, Par Franciæ & primus Regii diadematis & adminiſter: cui in belli adminiſtratione primus locus debetur. Ad cuius exemplum iam Dei beneficio Proceres, Equites, Duces belli, & Nobiles pleriq; Catholici, qui iuſtitiã defenſionis ſuæ legitimæ agnouerunt, arma ſua conſociarunt, & ſe comitantur.

Quod attinet ad Sacri fœderis authores, coniurationisq; ſocios, prædicti Rex Nauarræus, Princeps Condæus & Dux Mommorancius declarant & agnoſcunt eos pro Regis, ſtirpis Francicæ, & Reip. hoſtib. infenſiſſimis, quales Rex ipſe antea eos declarauit, quales omnes Curiæ Parlamenti literas regias probantes, eos agnouerunt: & iuxta illarum literarum & mandatorum Regis, quæ in illis continẽtur tenorem, ſumma vi bellum eis inferent, & omnibus modis ad internecionem vſque proſequentur.

Verumtamen quia fortè nonnulli coniu-

coniuratorum prætextibus decepti, adhuc cum ipsis versantur; si intra duos mẽses ab his literis datis ab eorum consortio discedant, domum se recipiant, vel ad se accedant, eos, vt superius dictum est, sub clientela sua constituunt, nolentes vt virtute præcedentium Regis mandatorum in eos inquiratur, aut molestia afficiãtur; quia coniuratorũ persuasionib. seducti, errore non malitia peccarunt.

In eundem finem prædicti Rex, Princeps & Dux eos omnes orant, qui conatibus cõiuratorum, quos satis dignoscere debuerunt, non adhærent, & tamen in illorum castris, aut locis munitis adhuc versantur; vt quamprimùm inde discedant, & se euoluant, ne fortè cum à cæteris discerni nequeant, simul cum illis pereant summo cum suo dolore & mœrore: neque enim statuerunt eodem supplicio plectere eos, qui eodẽ sceleris reatu non tenentur.

Quoniam autẽ prædicti Rex Nauarræus, Princeps Condæus & Dux Mommorancius optimè norunt, & meditantur omne bellum, & præsertim domesti-

cum, Dei esse flagellum, in quo populus innocens grauiora patitur, cuius calamitates & miserias iã ex intimo affectu deflent: in primis Deum omnipotentem orant, vt Ecclesiæ vicem bonitate sua respiciat, & prouidentiam suam exerere dignetur in calamitosum huius regni & populi statum ad bellum hoc funestissimũ medio aliquo auertendum, aut commoda pace præuertendum: vt etiam Regis & Reginę matris corda afficiat & oculos aperiat, ad id remedium, quod maximè salutare & vtile fuerit, percipiendum & amplectendum; vtq; huius Sacri fœderis coniuratorum corda flectat & animi duritiem mitiget, Lotharingorum ambitionem reprimat, illisq; meliorem mentem det, vt consiliis optimis tranquillitatem publicam respicientibus morem gerant.

Quòd si preces hæ apud Deum irritæ fiant, qui iusto suo iudicio huius seculi inauditam contumaciam retundit, saltem orant omnes homines pietatis & iustitiæ studiosos, vt iudicent, an vnquam defensio suscepta fuerit naturæ, necessitati, iuri diuino & humano congruentior, vtq;

in

in coniuratos ſuas preces & vota cõuertant, qui ex duobus malis vnum ſolùm eligendum reliquerunt; ſcilicet vel vt Frãcia omnis pereat, vel vt defenſione legitima & iuſta eiuſdem caſus impediatur. Denique confidunt Deum iuſtis ſuis armis benedicturum, & in huius fœderis coryphæos, noſtrarum calamitatum authores, mala quæ in Eccleſiam Chriſti, in Regem, genus & regnum ſuum moliuntur, conuerſurum.

Data apud diuum Paulum à Capdejous 10 Auguſti, 1585.

DECLARATIO REGIS IN EDICTVM PROMVLgatum in menſe Iulio vltimo, de reuocandis ſubditis ſuis ad vnitatem eccleſiæ Catholicæ apoſtolicæ Romanæ, lecta & promulgata in curia Parlamenti Pariſienſis 16 Octob. MDLXXXV.

HENRICVS Dei gratia Rex Franciæ & Poloniæ, omnibus qui præſentes

literas viderint, Salutem. Abunde satis exposuimus nostro Edicto Iulii mensis proximè elapsi mentem nostram, de reducendis subditis nostris ad vnitatem religionis Catholicæ, apostolicæ, Romanę; vt cursum moraremur infinitorum malorum, & calamitatum (quas indulgentia in tolerandis diuersis opinionibus in religione, in hoc nostrum regnum inuexit): & pax, concordia, & beneuolentia firma & stabilis inter subditos nostros coalesceret; cuiusmodi apparuit temporibus regum maiorũ nostrorum; qui sapienter rebus suis prospicientes non passi sunt, se regnantibus, aliam stabiliri religionem præter Catholicam. Ad quam vt subditos nostros professores nouę religionis facilius adduceremus: vtque bonis instructionibus imbuti, amplecterentur id, quod ad salutem animæ & priuatum cõmodum spectat, in animo habuimus spacium sex mensium, post promulgationem nostri Edicti, iis concedere: vt interea temporis desciscerent ab illa noua religione: & amplecterentur nostrã Catholicam, apostolicam Romanã, hancq; profi-

profiterentur; alioqui excederent regno, & terris nostri iuris & imperii: concedēdo iis ius eorum bonis fruendi, vēdendi, aut alio modo disponēdi pro arbitrio suo: sicut amplius expositum est in nostro edicto. Et cum hoc deliberandi spacium, vltro illis concesserimus; quo hos induceremus ad conuersionem: constat nihilominus pleroſque illius nouæ religionis Professores, obfirmatos in suo errore, abuti nostra lenitate: & otiosè vti frui bonis suis in eum finem, vt facultatem habeant sese armandi; & parādi pecuniam, vnde se ad militiam instruant: alii vt sese adiūgerent; alii & facultatibus prodessent iis, qui cum tenerentur obedire nostro Edicto, (sicuti boni & fidi subditi tenentur legibus sui regis) armati in nos mouerunt, & vi armata nobis resistunt. Qui plærisque in locis, & in Aquitania, Delphinatu & Occitania vi occuparunt oppida, & castella quædam nostra, inuolarunt in pecunias nostras, & ecclesiasticorum, & aliorum subditorum nostrorū Catholicorum, quas in sumptus sui belli conuertunt. exercendo præterea genus

omne hostilitatis aduersus ecclesiasticos, & alios Catholicos: quorum nonnulli in nonnullis locis, inhumaniter occisi sunt, & trucidati. Et si, vt remedium his perturbationibus adhiberemus, magnos & validos exercitus iam eduximus; quibus (vt spes nostra est) compescemus, Deo fauente, audaciam istorum hominū: & ad obsequium & obediētiam, quam nobis debēt cogemus: Iudicauimus nihilominus hoc non omnino sufficere: at opus esse adhuc amplius cauere, ne malum crescendo vires acquirat. Ob eam caussam, (communicatis consiliis cum honorificentissima Regina matre nostra, & plerisq; principibus, & primariis consiliariis nostris, qui præsentes erant) nos horum secuti sententias, ex nostra plena & regali auctoritate, decreuimus & decernimus vt sequitur.

Primò.

Vt omnes nostri subditi profitentes nouam illam religionem cuiuscunque conditionis, qui armata vi conati sunt morari executionē nostri edicti, aut qui his adhærent: etiam Catholici qui se his coniunxerunt;

iunxerunt; qui opitulati sunt, & iuuerunt: opitulantur & iuuāt re, fortunis & facultatibus arma deponant, abstineant à malo illo suscepto & societáte: & nobis pareant: nosq; vti decet bonos & fidos subditos agnoscant sub pœna criminis læsæ Maiestatis. Et si id minimè fecerint, nos iam sicut illo tempore, illos huius criminis reos declaramus per prę̃sentes literas. Per quas volumus, statuimus & nobis placet; vt eorum bona omnia mobilia & immobilia, debita, quæ illis debentur, nomina, rationes & actiones sint occupata, sequestrata & nobis quæsita. Et pro horũ administratione & cura, vt designentur boni & idonei commissarii & custodes: qui cogentur suscipere hoc onus, nõ obstantibus quibuscunque exemptionibus, excusationibus aut priuilegiis: vt mobilia vendantur; immobilia in licitatione elocentur: & pecunia ex his conflata cõuertatur in vsus belli. Saluis tamen oppositionibus seu interces̃sionibus: quæ ante omnia diiudicandæ sunt, & terminandæ. In hunc finem proprietarii, creditores, & alii qui aliquo iure nituntur, Tenebun-

tur has intra dies quindecim ad maximũ poſt ſequeſtrationem, inſerere actis publicis diœceſiũ, & præfecturarum; ſi interceſſores habitant in eiſdem diœceſib. & præfecturis. Si habitant extra diœceſim & præfecturam, intra menſem. Eadẽ ratione adferẽt titulos, iura, nomina, obligationes, & alia ſcripta, quæ muniũt ius ſuarum oppoſitionum, vt de his monarchæ & præfecti vel eorum legati, iudiciũ ferant, quos iubemus vt ſummatim & de plano, ſine dilatione aut conniuentia ea iudicent, ſub pœna amiſſionis functionũ ſuarũ; & etiam maiori, ſi res poſtulat, curent etiam ſeorſim ſententias inde confectas in acta publica diœceſium & præfecturarum referri.

Iubemus etiam ſub eiuſdem pœnis, ſubſtitutis procuratorum noſtrorum generalium vt adſint executioni huius declarationis, & noſtras dictas curias certiores faciant de ſua cura & diligentia ſingulis quindecim diebus.

Interdicimus etiam omnibus iis, qui cenſum, aut res alias debent iis qui cum armis prodierunt, eorum fautoribus aut facinorum

facinorum ſociis; ne quicquam illis ſoluãt: Sed ex hac noſtra iuſſione, profiteãtur id coram iudicibus noſtris ſtatim poſt publicationem præſentiũ ſub pœna quadrupli; & in eos tanquam fautores & ſocios illorum, qui ſunt in armis, publicè animaduertetur.

Interdicimus etiam omnibus, ne quid emant ab illis qui in armis ſunt; aut ab illorum fautoribus, & ſociis facinorũ. Declaramus quicquid hoc modo emptum fuerit nobis eſſe quæſitũ; & noſtro fiſco addictũ. Volumus etiam vt in iſtiuſmodi emptores animaduertatur. Et vt pecuniæ, ex venditione mobilium, & fructib. immobiliũ conflatæ, rationes conficiantur per commiſſarios quibus id negotii datur; quas tradent quæſtoribus Francię, & tribunis ærarii, in quorum regionibus reperientur illa mobilia, & ſita erunt immobilia. Quæſtores Franciæ præſcribẽt coactoribus ſingulorum locorũ, qua ratione pecuniam quam acceperint relatã in rationes debeant tradere tribunis ærarii noſtri ſicut aliam pecuniam, quam ſoliti ſunt ex præſcripto muneris ſui collige-

re in definitis locis, vt postea eadem conuertatur in solutionem sumptuum quos cogimur facere pro alendo milite quem nos conscripsimus ad roborandū & stabiliendum edictum nostrum in mēse Iulio emissum: & ad eliciendum obsequiū quod nobis debetur à subditis nostris. Cui rei addiximus & addicimus dictam pecuniam: ita vt non fas sit ob quamcunque aliam causam hanc impendere.

Volumus præterea dictos ministros nostros diligenter vacare (postpositis omnib. aliis negociis) persecutioni, & decisioni causarum capitalium & extraordinariarum, quæ aduersus armatos illos, eorum fautores & socios intentæ sunt, & vt vrgeant iudicia aduersus illos iuxta grauitatem nostrorū edictorum & præceptorum. Reseruamus nihilominus nobis, quātum ad bona immobilia attinet, facultatem de his pro arbitrio nostro cauendi; quò possint conseruari liberis, & hæredibus aliis aptis ad succedēdum exhæredatis: modò illi liberi & hæredes sint Catholici & se dignos præstiterint erga nos, tanto beneficio, obsequiis & offi-

officiis nobis gratis & acceptis.

Et quo melius discernere possimus eos, inter subditos nostros nouæ Religionis studiosos, quib. animus est amplecti nostram religionem Catholicam, quemadmodū pro corum salute & vtilitate optamus; & eos qui mandatis & iussionibus nostris in edicto expositis obtēperare volunt, religionem tamen nostram amplecti nolunt. Insuper vt caueamus ne nonnulli horum malè animati erga nos, dilatione sex mensium (quam his beneuolo animo permisimus) abutantur, in præiudicium obsequii quod nobis debetur; & commodi publici huius nostri regni; vti hactenus fecerunt: Declarauimus & declaramus nostram voluntatem, & sensum esse, vt omnes nostri subditi illius nouæ religionis studiosi, intra dies quindecim post publicationem præsentium, se conuertant ad religionem nostrā Catholicam, & eandem profiteantur. Si secus fecerint, abeant & excedant hoc nostro regno, & terris nobis subiectis: cum facultate fruendi, vendendi aut alio modo disponendi de bonis suis pro suo arbi-

trio, mobilibus & immobilibus, vti conceſſimus in noſtro edicto. Ea tamen conditione hoc conceſſimus, ne his bonis directè aut obliquè iuuent eos, qui armati contra noſtram auctoritatem prodierũt; aut eorum fautores, aut ſocios. Si huic mandato non obedierint, noſtra voluntas, & ſententia eſt, vt aduerſus eos ſummatim agatur, prehendendo eorum bona mobilia & immobilia: mobilia diſtrahendo, fructus immobilium impendendo, quemadmodum ſupra dictum eſt, de bonis eorum, qui aduerſus noſtram auctoritatem arma ferunt; & eorum ſociorum: Et vt actio aduerſus hos agatur & peragatur eodem modo quo conſuetum eſt agi contra infractores noſtrorum edictorum & conſtitutionum ſine diſſimulatione aut dilatione.

Nolumus hac declaratione comprehendi mulieres matrimonio copulatas, viduas aut virgines nouæ religionis ſtudioſas: quibus conceſſimus reliquũ ſpacium ſex menſiũ comprehenſum edicto noſtro menſis Iulii vt ſe cõuertant ad religionem noſtram Catholicam, aut exeant

eant hoc noſtro regno, vt fertur eodem.

Prohibemus nihilominus omnes noſtros cuiuſcumque conditionis ſubditos ſub pœna capitis, ne vim cuiquam inferant exequendo hanc noſtram declarationem, neque iniuriam faciant aut damnum ſeu corporibus ſeu bonis eorum qui noſtræ parent voluntati, & ſe recipiunt & conferunt extra limites noſtri regni: aut præter noſtram voluntatem cõmorantur vltra illud tempus in hoc regno. Quam rem committimus inquiſitioni & perſecutioni noſtrorum miniſtrorum.

Ita mandamus dilectis & fidis noſtris iudicibus, qui curiis præſunt noſtrorum Parlamentorum, nomarchis, præfectis, præpoſitis & eorum legatis; Etiam omnibus aliis noſtris iudicibus, adminiſtris & eorum vnicuiq;, vti par eſt, vt curent hãc noſtram declarationem, voluntatem & mentem promulgari, perſcribi, & in acta publica referri dictarum noſtrarum curiarum & iudiciorum, vt vnicuique res innoteſcat: ſeruari, cuſtodiri, perfici abſque vllo obſtaculo aut contradictione

iubemus quoq; Aduocatis noſtris, procuratoribus generalibus, & ſpecialibus vt huic negotio adſint, & nos ſingulis quindecim diebus certiores faciant de cura, diligentia; quibus vſi fuerint in exequendis his noſtris mandatis. In quorum fidem & teſtimonium preſentibus noſtra manu ſignatis ſigillum noſtrum curauimus affigi. Nam ita nobis placet.

Datum Pariſiis 7 Octobris, anno gratiæ 1585. Et noſtri regni 12.

Signatum

HENRICVS.

Et paulo inferius

Ex mandato Regis in conſilio

Brulart.

SANCTISS. D. N.

SIXTI PAPÆ V,

DECLARATIO:

CONTRA HENRICVM Borbonium, assertum Regem Nauarræ & Henricum item Borboniũ prætensum Principem Condensem, Hæreticos, eorumq; posteros & successores; ac liberationem subditorum, ab omni fidelitatis & obsequii debito.

EIVSDEM EXCOMMVNICAtionis Censura, qua breuiter probatur Christi, Prophetarum & Apostolorum testimoniis; Patrum orthodoxorum scriptis, legibus, canonibus, historiis, & Gallici regni priuilegiis, hanc excommunicationem iniustam esse, & ipso facto nullam.

Per B. T. B. A.

IMPRESSVM AD EXEMplar Romæ editum.

EXCOMMVNICATIO.

SIXTVS EPISCOPVS seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

CENSVRA.

HÆc inscriptio vulpis fraudem retegit: nã Papa, qui hoc loco Episcopus tantũ nominatur, passim Episcoporum Principem & Ecclesiæ Catholicæ caput se esse iactitat. Egregius scilicet, seruus seruorum Dei, *qui sese opponit & effert aduersus quicquid dicitur Deus; adeò vt in templo Dei sedeat tanquam Deus*, qui augusto habitu & triplici tiara in aurea sella sublimis adorandum se *Romæ exhibet*; qui (si ei credere fas est) pro arbitrio cælum reserit & aperit; qui currus animarum pleno iure ad tartara detrudere potest; qui omnes iudicat, & à nemine potest iudicari, qui vtriusq; gladii Ecclesiastici & Politici potestatem sibi arrogat; qui crepidas suas Cæsaribus deoscu-

2. Thes. 2.

c. Si Papa. dist. 42. &c.

Clem. vnic. de iureiurã.

deoſculandas promouet; qui eoſdem pedibus ſuis conculcat; quos Lunę, ſeipſum Soli comparat; qui denique regna & imperia pro libidine animi transfert; nec peti ab eo poteſt, Cur hoc vel illud faciat. Ec quis ſeruum adeò ſuperbum, iniuſtũ tyrannum hominibus illudentem diutius feret in Eccleſia Dei? Itaq; ad perpetuam tyrannidis ipſius memoriam corrigatur ſuperior inſcriptio in hunc modum:

cap. ſignific. caſti. ext. a De cleſt.

Sixtus ex monacho Papa v, Romanus Antichriſtus, ſeruus ſeruorum Babylonicæ meretricis, ſedens in templo Dei tanquam Deus, & ſuprà omnes ſublimiores poteſtates ſe efferens ſuperbè, & dominans tyrannicè.

Apoc. 18.

EXCOMMVNICATIO.

Ab immenſa æterni Regis potentia, beato Petro, eiusque ſucceſſoribus tradita authoritas omnes terrenorum Regum & Principũ ſupereminet poteſtas, ſtabiliq́, in petra conſiſtens, nec vllis aduerſantibus, vel etiam ſecũdis flatibus à recto deflexa, inconcuſſa profert in omnes iudicia, & ne diuinæ maximè leges violentur, ſumma ope prouidet; & ſi quos

ordinationi Dei resistentes inuenit, seueriore hos vindicta vlciscitur, & quamuis potentiores de solio deiiciens, veluti superbientis Luciferi ministros; ad infima terræ deturbatos prosternit.

CENSVRA.

Apoc. 13. Ex his Sixti Papæ verbis verissimũ esse constat, quod de Antichristo dicitur, Bestiam esse, quæ duo cornua habeat agni similia, sed loqui vt draco: is enim in huius Excõmunicationis inscriptione Christi veri agni cornua duo; scilicet Episcopi sanctitatem, & serui Dei humilitatem fucatè assumpsit; statim verò impia loquitur vt Sathanas. Nam quod ait Petro Apostolo, & successoribus eius datam esse authoritatem supereminentem in Reges & omnes alias potestates; refellitur dissertis Christi verbis, qui sæpe testatus est regnum suũ non esse de hoc mundo; & au-
Ioan. 18. fugit è conspectu eorum, qui illum Regẽ
Ioan. 6. terrenum, præpostero zelo, constituere
Matt. 20. cupiebant; Apostolos etiam suos de principatu cogitãtes his verbis corripuit, Reges nationum eis dominantur, at non ita futu-

futurum est inter vos, &c. Alibi quidem dixerat sessuros esse Apostolos super thronos duodecim, & iudicaturos duodecim tribus Israël; cùm in regeneratione sederit Filius hominis in throno gloriæ suæ. Verùm ista ad illum diē pertinent, in quo filii Dei, animo & corpore regenerati, vita æterna fruentur. *Neque Petro aut solis Apostolis, sed illis omnibus promissa sunt, qui derelictis seculi deliciis Christum secuti sunt, & sequentur.* Quod Apostolus innuere videtur his verbis 1 Cor. 6. An non nostis quod sancti mundum iudicabunt; & quod Angelos iudicabimus? At, inquiūt, Romanæ tyrannidis fautores, Dictū est, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; Item, Dabo tibi claues regni cœlorum, &c. Sed ridiculos se præbent, qui ex illis locis imperiosam potestatem Petro datā esse contendunt, cùm petra, de qua Christus loquitur, sit illa fidei confessio, quam Petrus de Christo Filio Dei ediderat, quæ toti etiam Ecclesię est communis. Euangelicum verò ministerium Petro & aliis Apostolis cōmissum; clauibus, & œconomi potestati

Matth. 19.

[illegible]

Bernardus serm. 61.

Matth. 16.

Esaiæ 22. Apoc. 3. ab Esaia cõparatur: Euangelio enim veluti clauibus aperiuntur fores regni cœlorum, pœnitentibus & credẽtibus; impœnitentibus & incredulis clauduntur. Itaq; Petro & aliis Apostolis Ecclesiæ œconomis non principatus, sed ministeriũ Euangelicum, non plenitudo potestatis, sed pœnitentiæ & fidei doctrina cõmissa est, & ita superiores locos interpretati sunt Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus & Bernardus. Certa est autem hæc regula, Nemo plus iuris in alium transferre potest, quàm ipse habeat: Petrus plenitudinẽ aut ius immensæ potestatis non habuit, multò minus ad suos hæredes vel successores trãsferre potuit. Sed demus habuisse: nunquã tamen probabitur illud ius ad Papã & cynædos suos rubros vllo iure diuino aut humano pertinere, qui non Simonis Petri pietati aut doctrinæ, sed potius Simonis Magi impostur & auaritiæ successerunt. Quam verò arrogãt sibi potestatem, eam à Phoca proditore nacti sunt, qui cum Mauricium Impera. anno 600. dominum suũ, nec non eius liberos per proditionem & scelus

Vide locos supra adnotatos p. 249.

Chro. Mart. Platina in vita Bonifacii tertii.

scelus trucidasset, homicidii crimine à Bonifacio Papa absolutus est, & Imperator agnitus hac lege, vt vicissim ille Episcoporum Princeps & caput Ecclesiæ agnosceretur. Quod Gregorius Papa antè repudiauerat vereq; vaticinatus est eum fore Antichristi præcursorem, qui hanc potestatem sibi primus vindicaret. Greg. lib. 4. Epist. 76. itẽ lib. 6. Epist. 188.

EXCOMMVNICATIO.

Quare proincumbenti nobis Ecclesiarum omnium, populorum ac gentium solicitudine, vt animarum saluti in primis prospiciatur, & non solùm famulatus nostri, sed etiam omnia futura tẽpora impiis ac detestandis mõstris purgata cunctis Christiani orbis partib. pacem afferãt & quietem, & præsertim amplissimo Galliæ regno, in quo Christiana religio omni tempore ita viguit, tantaq; Regum illius pietas, fides ac deuotio, tot in Romanã Ecclesiam merita extiterunt, vt ÿ iure optimo glorioßissimum Christianissimi cognomen ab ea sint consecuti; ac etiam ne nos de neglecta officij nostri cura vnquam apud Deum arguposßimus, arma militiæ nostræ, quæ non carnalia sunt, sed potentia Deo in destructionem

munitionum nunc cõtra duos potissimùm iræ filios, Henricum Borbonium quondam Nauarræ Regem, & Henricum item Borbonium olim Principem Condensem exercere compellimur.

CENSVRA.

Scitè dixit quidam nullam pestem capitaliorem pastorib. accidere posse πλεπραγμοσύνης studio; quò fit, vt neglectis Ecclesiis, quæ ipsorũ fidei cõmissæ sunt, alienas curent, quæ id ipsos non pertinẽt. Quod Sixto Papæ v vsuuenit, qui de Romanæ Ecclesiæ salute & reformatione securus; cuius Episcopum se esse prætendit, omnium Ecclesiarũ (& præsertim regni Gallici) ad ipsius curam non pertinentiũ solicitudine se duci phalerata oratione supra persuadere conatus est. Equidem liceat nobis D. Bernardi verbis Eugeniũ Papam alloquentis, Sixtum etiã Papam interpellare: Cleri & populi tui, cui specialiter episcoparis, specialis curæ teneris debitor; hi qui tibi quotidie assistunt seniores populi, & qui de domo tua sunt, capellani, cubicularii ministri; hi sunt qui non

D. Bernard. De cõsider. lib. 4.

non verentur ſuſcitare dilectam: & ante-
quam ipſa velit: deinde omne quod per-
peram agitur te præſente, id tibi turpius.
Quid de populo loquar? populus Roma-
nus eſt, nec breuius potui, nec expreſſius
aperire de tuis parochianis, quod ſentio.
Gens inſueta paci, tumultui aſſueta. De
Satrapis, quem dabis mihi de tota maxi-
ma vrbe, qui te in Papam receperit, pretio
ſeu ſpe pretii non interueniente? Qui tũc
potiſſimùm volunt dominari, quum pro-
feſſi fuerint ſeruitutẽ, fideles ſe ſpondẽt,
vt opportunius fidentibus noceant. Hi
inuiſi cœlo & terræ, impii in Deũ, teme-
rarii in ſancta, ſeditioſi in inuicem, æmuli
in vicinos, inhumani in extraneos. Hi
ſunt, qui ſubeſſe nõ ſuſtinent, præeſſe nõ
norunt, ſimpliciſſimi diſſimulatores, &
maligniſſimi proditores. Inter hos tu Pa-
ſtor procedis deauratus, (ſi auderem di-
cere) *dæmonum magis quàm ouiũ paſcua hæc.*
Scio, vbi habitas, increduli & ſubuerſores ſunt
tecum, lupi non oues ſunt; talium tu tamen pa-
ſtor, Paſtorem te nega, aut exhibe. Petrus ne-
ſcitur proceſsiſſe aliquando vel gemmis orna-
tus vel ſericis, non tectus auro, nõ vectus equo

Papa vel pretio vel ſpe pretii à ſuis re-cipitur.

» *albo nec ſtipatus milite, nec circumſtrepenti-*
» *bus ſeptus miniſtris. In his ſucceſsiſti non Pe-*
» *tro, ſed Conſtantino.* Et ſi purpuratus, etſi
» deauratus incedis, etſi Petri paſtoris hæ-
» res es, paſcere & euãgelizare te decet ver-
» bo, non ferro. Quid tu denuo vſurpare
» gladium tentes, quem iuſſus es ponere in
» vaginã? &c. Hactenus Bernardus. Quid illum dicturum exiſtimamus, ſi hodie viueret, & intueretur idololatriã, atheiſmũ, ſodomiam, verbi Dei & ſacramentorum prophanationem, ſacri miniſterii nundinationem, infinitaq; alia quæ in Eccleſia Roma. luce meridiana magis conſpicua ſunt? Quid ſi Papæ & Cardinalium infidelitatẽ, ſimoniam, coitus nefandos, adulteria, faſtum, auaritiam, periuria & cõſilia crudelia audiret? Exclamaret abſque dubio, O cœlum, cur hæc videns ſcelera non ruis, & terra ferens non dehiſcis? cur ignis non abſorbes, & diluuium rurſus nõ expias? Hæc ſpecilla naribus ſuis & Cardinalium admoueat Sixtus, diſcatq; illud
Matt. 7. Chriſti, Hypocrita eiice primùm trabẽ illam ex oculo tuo, & tum diſpicies vt eicias feſtucam ex oculo fratris tui.

EX-

EXCOMMVNICATIO.

Ille enim quondam Rex, Caluini errores atque hæreſes etiã ab ineunte adoleſcentia ſecutus eſt, pertinaxq; earum patrocinium tandiu exercuit, quoad claræ mem. Caroli noni Francorum Regis, & chariſsimæ in Chriſto filiæ Catharinæ Reginæ eius matris pientiſsimæ atque etiam dilecti filii noſtri Caroli tituli. S. Chryſogoni presbyteri Cardinalis Borbonii patrui ſui, & Ludouici Mompenſerii Ducis, piis frequentibusq; hortationibus, apertisque eximiæ virtutis ac doctrinæ Theologorũ demonſtrationibus ad fidem Catholicã & Apoſtolicam Rom. (vt exiſtimabatur) conuerſus, hæreticas omnes contra fidem Catholicã opiniones Pariſiis publicè in Eccleſia damnauit, anathematizauit & abiurauit, fidemq; ipſam Catholicam expreſsè profeſſus eſt, datisq; ſubinde ſuis ad ſe. re. Gregorium Papam XIII prædeceſſorem noſtrum literis, quib. eundem prædeceſſorẽ ſupremũ Catholicæ Eccleſiæ caput iam agnoſcens, ipſum ſupplex deprecabatur, vt pœnitentiæ, conuerſionis & obedientiæ ſuæ confeſsionem acceptam habere, & anteactorum veniam remiſsionisq; gratiam concedere dignaretur, firmiter promitteus ſe fidem

ipſam Catholicam perpetuò integrè ac inuiolatè ſeruaturum. Quibus literis, vt pote regiis, idem prædeceſſor credens, & paternæ charitatis viſceribus commotus, ac etiam grauiſſimo Regis, Reginæ matris, Cardinalis & Ducis prædictorum de huiuſmodi conuerſione teſtimonio adductus illum ipſum præteritos errores confitentem veniamq́; humiliter petentẽ, à crimine hæreſis & à cenſuris Eccleſiaſticis propterea incurſis abſoluit, & in gremiũ ſanctæ matris Eccleſiæ, communionemq́; fideliũ admiſit, omni inhabilitate ab eo ſublata.

CENSVRA.

Qui in hiſtoriis verſati ſunt, norũt Occidentem Pontificum Rom. artolatria, idolomania, eorundem hæreſibus & impoſturis pedetentim adeò corruptũ fuiſſe ante Lutheri & aliorum piorum Doctorum ſcripta, vt extincta ferè eſſet vera doctrina in Eccleſia. Horum veſtigiis inſiſtens Caluinus natione Gallus ſcriptis ſuis doctiſſimis Papatum non ſolùm oppugnauit, ſed Eccleſiæ reformationem ſuo miniſterio promouit. Propterea à Papa & ſuis hæreticus hîc pronũtiatur, cùm ipſemet

ipſemet hæreticus nō tantùm ſit, ſed homo ſceleratus & filius perditionis, qui mi 2. Theſſ. 2.
niſterium iniquitatis in Eccleſia operatur. Falſiſſimū verò eſt illud mendaciū, quo affirmat Sereniſs. Regem Nauarræ Caluini errores & hæreſin ab adoleſcētia ſecutum fuiſſe. Is enim orthodoxè fuit educatus, & fidem quam profitetur, hauſit ex fontibus verbi Dei, in nullius nedum in Caluini verba vnquā iurauit: Doctorū dicta quæ audit, & ſcripta quæ legit, ad ſcripturæ ſacræ Lydium lapidem probat, contra quam ſi Angelus è cœlo loqueretur, ei fidem non adhiberet aut adhæreret. Quod verò ſubiicit Sereniſs. Regem Nauarræ exhortationibus Regis Caroli noni & Principum, nec non Theologorum piis admonitionibus conuerſum fuiſſe, ad Papæ & Eccleſiæ Rom. agnitionē: in ſequentibus pluribus refutabitur; hoc tantum nunc dicemus in ſtrage Pariſiis edita anno LXXII, XXIIII Auguſti non Theologos, ſed Antichriſti furias in conſpectu Regis adoleſcentis apparuiſſe, nō deliberandi tempus, ſed moriendi terminum ei præſcriptū fuiſſe, niſi morem cō- Gal. 5.

tinuò gereret iis, quæ faciẽda & subſcribenda ei per vim propoſita fuerunt; Et tu Sixte iſta exageras? quaſi verò hîc locum non habeat illud Vlpiani Iuriſconſ. *Quod vi metusve cauſa geſtum erit, ratum non habebo.* Equidem cõuerſio illa non fuit, ſed deſtructio; non libera actio, ſed impulſio violentiſſima: non fides, ſed proditio; cuius memoriã obliuioni ſempiternæ mandare præſtabilius multò eſſet, quàm refricando perfidiam & crudelitatem adeò inſignem magis magisq; poſteritati conſecrare.

Aeternitas & perpetua ob liuio proditionis Lutetiæ factæ, præſtabilior multò eſſet, eius recordatione, quã Papa refricando crudelitatis notã magis inſignem reddit.

EXCOMMVNICATIO.

Quinetiam vt arctiori & firmiori vinculo ligaretur, cum eo & Margarita dicti Caroli Regis ſorore, quæ ex illa Chriſtianiſſima ſtirpe nata atque alta facilè maritum in officio & Religionis Catholicæ obſeruantia continere poſſe ſperabatur, diſpenſauit, vt non obſtantibus impedimentis tertii & aliorũ forſan inter eos graduum conſanguinitatis & cognationis ſpiritualis, matrimoniũ inter ſe cõtrahere poſſent, prout in facie Eccleſiæ contraxerunt: excurſisq; deinde aliquot menſib. ille

Iohannem

Iohannem Duratii Dominum Oratorem suũ, qui nomine suo de pœnitentia, conuersione, fide & constantia sua in sedis Apostolicæ conspectu sponderet, ad dictum prædecessorem delegauit, habitoq; pro eo publico, solenniq; in aula regia de more consistorio, in conspectu sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium prælatorumque & aliorum frequentissimo concursu, professis omnibus supra dictis, idem Henricus tãquã Rex recens ad fidem conuersus & vt Catholicus admissus est, tota vrbe exultante, & ingentes Deo, de conquisita & inuenta oue gratias agente.

CENSVRA.

At sacratissime Pater, tuum nõ est, nec anteceſſorum tuorum fuit de gradibus in matrimonio prohibitis leges cõdere: magistratus enim illud est officiũ; quod cùm ausi estis vsurpare, circa istas leges matrimoniales non mediocriter peccastis. Primò enim gradus omnes vsq; ad septimũ contra expressum Dei verbum vestris legibus interdixistis. Quod cùm à Pontificiis etiã derideri animaduertistis, ad quartum gradum vestras leges postea contra- Leuit. 18.

xistis; eas sub pœna Excommunicationis obseruari edixistis, nisi ad vestras lacunas explendas offerantur pecuniæ; tunc enim non tantùm vestras, sed Dei etiã leges turpiter, & nefarie soluitis. Falsissimũ enim est quod Rabini vestri scripserunt lib. 4. Sententiarum dist. 34. illa præcepta quæ in lege Dei de gradibus matrimonialibus lata sunt, maiori ex parte iudicialia esse, quæ Papa iure positiuo, siue Ecclesiastico immutare possit. Naturalia verò & moralia esse, hoc vno argumento satis probatur, quod Chananæos neq; Israëliticæ Reipub. ciues neque legib. Mosaicis nondum latis adstrictos: nihilominus tamen Deus profligauit propter coniunctiones inhonestas ab illis, contra naturæ bene institutæ leges vsurpatas, quæ per peccatum veluti obliteratæ, postea lege diuina instauratæ sunt: illisq; vt moralibus omnes Christiani obstringuntur. Itaque (ait Baldus) Papa leges Dei soluendo, non facit id ex plenitudine potestatis, sed tempestatis qua Ecclesia Dei turbatur & corrũpitur. Ferdinãdus Rex Neapolitanus amitam suã duxit approbante Alexan-

Historiæ de incestuosis nuptiis à Pa-

Alexandro VI Martinus V Papa matrimonium remisit cũ sorore germana, Emanuel Rex Portugalliæ duas sorores habuit vxores; Catharina Regina Angliæ duos fratres coniuges Pontificibus incestuosas istas nuptias non solùm ferentib. sed dispensantibus. Sed vetera quid commemoramus exempla, cùm hoc seculũ sceleratissimis Paparum dispensationib. caninis potius quàm humanis nuptiis sit pollutum & conspurcatum. Equidẽ Sixte, quas Rex Nauarrenus contraxit nuptias cum Margarita Caroli noni sorore ratione gradus cõsanguinitatis bona cõscientia iuxta Dei leges contraxit, nec ei vlla fuit opus dispensatione. Cognationis verò spiritualis quòd meministi, haud scimus, quid velis, nisi forte illicitas nuptias fuisse in religione dispari. Quod si apertè dixisses, responsum tulisses te & tuis antecessoribus dignum. Certè perperã opus procedit cum bos & asinus simul arant, contra Dei mandatum. pis relaxatis. Deut. 22.

EXCOMMVNICATIO.

Sed ille, vt erat vario & inconstanti ani-

mo, haud multo post à Catholica fide & debita erga sedem Apostolicam obedientia, cæterisq; à se expresse & cum iuramento professis deficiens, atque in eo quo prius erat, cœno reuolutus, à Rege Christianissimo clàm se subducens, collectoq; in loco ab ipsius Regis aula satis remoto, quàm potuit copioso hæreticorum sceleratorum, aliorumq; id genus impiorum hominum numero, ibi ea omnia quæ de Caluinismi detestatione, hæresum omnium abiuratione, ac Romanæ fidei Catholicæ & Apostol. professione antea fecerat, palàm reuocauit, testificans, se Caluinismum ipsum profiteri, prout professus est, eiq; hæresi pertinaci & obdurato animo semper adhæsit, & in ea huc vsque viuens, sæpius hæreticos perduelles ac seditiosos (quorum caput, dux & propugnator in Gallia, & etiam exterorum hæreticorũ acerrimus fautor semper fuit) ad arma cõtra prædictum Carolum, ac etiam charissimum in Christo filium nostrũ Henricum Francorum Regem Christianissimum: tametsi eum vt Regem ac Dominũ suũ colere, vt sororium amare & sequi debebat, omnis scilicet officij ac pietatis immemor, aduersus ipsum & reliquos Catholicos omnes cõcitauit, infestissimos exercitus, accitis etiã externarum

ternarum nationũ hæreticis contraxit, à quibus omnia passim loca cruentis piorum hominum cædibus fœdata, sacra Dei templa temerata & direpta, sacerdotes & viri religiosi cruciatib. trucidati sunt: oppida præterea & munitiones Catholicorũ partim insidiis, partim vi & armis occupauit; & in eis Catholicæ Ecclesiæ ritus prohibuit ac sustulit; ministros & concionatores hæreticos constituit, ciues & incolas ad eãdem impietatem capessendam minis verberibusq; coëgit.

CENSVRA.

Si nullum prorsus extaret documentũ pietatis, candoris animi cęterarumq; virtutũ, quibus Sereniss. Rex Nauarræ præditus est, hoc vnicum Sixti Papæ & Cardinalium testimonium ipsius in Deum & Ecclesiã pietatem satis demonstraret. Fatentur enim illum non multò post lanienam Parisiensem vbi primùm se ex aula Regis subducendi facultatem nactus est, Ecclesiam Roma. & Papæ obedientiam publicè abnegasse & verã religionẽ professum esse. Nã (quod de Caluinismi professione Papa narrat, simile est illi calu-

Mar. 14. mniæ, qua Christo imponebatur à Iudæis, quod regni terreni munus obire & tẽplum destruere voluisset. Historiam verò facti paucis comprehendemus. Rex Nauarrẽnus post sacrum Bartholomæi diem contra voluntatem plus quam triẽnium in aula Regis detentus, die quadam Lutetia venationis causa egressus est, Catholicis Roman. eum solum comitantibus; in syluam vbi peruenit illis apertè aperit animum sibi non esse in aulã regredi; quod ea tãquam carcere durissimo animæ suæ salus, & corporis libertas constringeretur. Catholici socii itineris etsi Roma. Ecclesiæ essent addictissimi, Regi adolescenti stipulantur se eum deducturos quò voluerit, & reipsa Alenconiũ vsque, xxxxv milliaribus Lutetia distantẽ, deducũt. Ibi erat studiosorum reformatę religionis & administrorũ Regis Nauarrẽni non exiguus numerus. Itaq; conuocata Ecclesia Rex adolescens palam & liberè agnoscit se periculi & mortis metu per vim sacrificiis impuris Missæ in aula Regis interfuisse, Deum cum lacrymis orat, vt sibi ignoscat; omnesq; adhortatur,

Regis Nauarreni publica abnegatio Papatus initio anni 1576.

ne

ne ipſius lapſu offendantur,& inuocato nomine Spiritus ſancti Deo & Eccleſiæ Chriſti vouet conſtantiam in poſterum; Papam & eius falſam doctrinã deteſtatur. Quodq; tunc verbis pollicitus eſt, factis ad hodiernum vſque diem comprobauit: tribus enim bellis ciuilibus propter Eccleſiarũ reformatarum defenſionem à Pontificiis impetitus periculis nec vitæ nec fortunarum aut dignitatũ pepercit. Hinc inde lacrymæ, quibus Sixtus Papa inſtar Crocodili, ereptum diuina prouidentia ex faucibus meretricis Romanæ Regem Nauarrenum deuorare nunc cũ ſuis nititur. Hinc ficta illa crimina de rebellione & contumacia in Regem ſuum, de Eccleſiæ Rom. perſecutione,& multa alia quæ addit manifeſtè falſa: A quorũ refutatione hîc ſuperſedemus, quod ex declarationibus Regis Nauarreni in lucẽ editis ſatis ſuperq; ſint refutata. Hoc tantum corodinis loco addemus; Videant nempe Catholici illi, qui Regem Nauarrenum deduxerunt, inter quos fuit Dux Eſpernonius, quo elogio hîc à Deo ſuo terreno Papa afficiantur, qui illos impios

Crocodilus & Papa lachrymando deuorant.

Vide declarationẽ Regis Nauarreni editã Bergeraci x Iul. MDLXXXV.

quam chirographo suo obsignatam ad Regem Henricũ III misit.

homines vocat. Id certè iuxta prouerbiũ antiquum, Qui idolum colit, ab eo tandem contunditur.

EXCOMMVNICATIO.

Sed ne hæc quidem satis sibi esse existimãs, inter alios, intimum quemdam suum nefariis artibus suis instructũ extra Galliæ fines ad diuersa loca misit, per quem cum primàriis hæreticis impia consilia sua communicauit, eorũque vires & arma contra religionem Catholicam & Rom. Pontificis potestatem prouocauit, conciliabula quoq; hæreticorum in diuersis prouinciis habenda curauit, quorum nonnullis (dum iniquissima illa fœdera contra fidem Catholicam, ac præsertim contra Ecclesias, Clerũ, & vniuersos Catholicos regni Frãciæ tractabantur) ille non solum interfuit, sed etiam præfuit.

CENSVRA.

Ista ad legationem pertinent quã anno LXXXIIII Rex Nauarrænus in Germaniam misit. Emissarius quidam Papæ edito libello, cui titulus est *incendium Calvinisticum*, eã turpiter & scelerate traduxit, in quem merito illud poetæ concipi posset; *Vtq;*

Vtq; ferox Phalaris lingua prius ense resecta «
More bouis Phario clausus in ære gemas. «

Etenim Phalaris Romanus artificem hunc velut alterum Perillem nactus est, qui libro suo famoso vt igni missili Ecclesiam Dei vbique comburere & perdere curauit. In Serenissimũ Regem Nauarrę, in aliquot Reges pios, in illustr. Principes Germanię protestãtes, in cõsiliarios Imperialis Cameræ, & innumerabiles cordatos viros, in Respub. profitentes Euangelium D. N. Iesu Christi non tantum debacchatur, sed eis detestãda crimina falsò imponit. Elisabetham verò Angliæ serenissimam Reginam rabido dente petere tentauit: sed vt telum in petram incidens retorquetur in mittentem: ita cõuicium in valde piã & omni genere virtutum ornatissimam Reginam vibratum in sycophãtam recidit: nec nouum est ab hostibus Euangelii cuius defensionem & propagationem piè & cõstanter suscepit probris infamari: cùm ipse Apostolus hoc nomine κάθαρμα habitus, & τῶ σπερμολόγου conuitio agitatus sit. Tandem temerarius ille Thersites furore cæco correptus,

vt Andabata Reginæ cuidam non comparsit, cuius tamen famæ saltem hoc solo respectu consulere debuit, quod Romanæ Ecclesiæ sit obseruantissima. Ex præscripto certè legum ciuilium ignis supplicio & dilaceratione bestiarum plectũtur illi qui data opera & studio ædes incendunt, parem etiam pœnam meretur hic incendiarius qui libello suo tanquam Syphone vsus est, nõ ad extinguendum, sed excitãdum ignem bellorum ciuilium, ad totius Europæ Christianæ consumptionẽ & interitum. Ausus insuper est συκοφαντικῶς responsionem falsam suppositia persona Principum Germanorum ad illã legationem edere, qui (vt ex celsit. suar. literis constat) officiosè & benignè ei responderunt: Sed mirum non est filiũ Papæ in illis insigniter, & gnauiter fuisse impudentem, cum ipse mendacii parens supra affirmare non erubuerit legatum Segurium nefariis artibus instructũ impia consilia cum primariis hæreticis contulisse, &c. Mandata enim eius quæ in lucem Pontificiorum dolo prodierunt, & typis excusa sunt testãtur Regem Nauarrenum

l. Qui ædes ff de incend. ruin. nauf. & l. fi. ff. eodem titulo,

renum ſingulari ſtudio & laudanda bonitate, non ἀναρχίαν in Religione, ſed veram concordiam illa legatione quæſiuiſſe. Stomachum certè mouit Antichriſto Romano illa legatio quod ea illuſtriſſimi Principis Gebhardi Electoris Colonienſ. cauſa valdè commendaretur, quem Gregorius XIII ob hanc ſolùm cauſam proſcripſit cõtra Imperii cõſtitutiones, quod abnegata Romanæ pſeudo Eccleſiæ doctrina, orthodoxam fidem ſit amplexus; ſed bona cauſa tandem aliquãdo triumphabit, nec patietur Deus virgam Antichriſti Romani perpetuam ſuper ſortem iuſtorum. Cæterùm Principibus Germaniæ proteſtantibus Sixtus proteruè cõuiciatur & PRIMARIOS hæreticos vocat, quos ſperamus non permiſſuros vt inualeſcat hoc puridum Papæ conuicium, rogamusq; vt ſuo teſtimonio diluant illud mendacium, quo affirmat illa legatione tractata fuiſſe iniquiſſima fœdera contra Eccleſias Catholicas, & Catholicos regni Franciæ. Quæ omnia perinde falſa ſunt, atque id quod ſubiicit de conciliabulis in diuerſis prouinciis habendis in Germa-

Gebhardus Elector Colonienſis, propter puriorẽ Euãgelii profeſſionem à Papa contra Imperii leges an. 1583 proſcribitur.

Pſal. 125.

nia. Denique confidimus eos omnes qui à Papatus tyrannide se vindicarunt, Ecclesiis Gallicis in acie nunc laborantibus auxilia contra Antichristi & coniuratorũ rabiẽ breui subministraturos, viresq; suas coniuncturos ad communem hostem velut leonem rugientem, Ecclesias faucibus suis appetentẽ, depellendum, & intra cancellos suos coercẽdum. Meminerint etiam sapiẽtes, vicina hæc incendia paulatim nostra inuadere & perdere posse, nisi maturè extinguantur.

EXCOMMVNICATIO.

Henricus verò Borbonius Princeps Condæus, vtroque parente hæretico genitus, cum illi exitialia Caluini dogmata, eorumq; ministros pertinaciter in omni vita fouissent, eorundem patris ac matris sequutus hæreses cõsimilia facinora etiam adolescens perpetrauit: deinde eadem illa, qua alter Henricus, opera viam veritatis pœnitentia & humilitate cordis, quantum conijci potuit arripiens, detestatisq; pariter & abiuratis publicè omnibus hæreticorum erroribus & deliramentis fidẽ Catholicam, vt præfertur, professus est. Quibus

ad

ad eundem Pontificem perlatis, ac etiam pro eo similibus precibus porrectis, ipse prædecessor illum ac etiam quondam Mariam Cliuensem pratensam coniugem suam, eodem tunc hæresis crimine infectam, simili modo pœnitētem, detestantem, ac profitentem ab hæresi & censuris huiusmodi absoluit, eosque in gremium Catholicæ Ecclesiæ, fideliumq; consortium recepit: quinetiam ex paternæ charitatis abundantia, cum eis, vt non obstante impedimēto secundi gradus consanguinitatis, quo inuicem tenebantur, matrimonium inter se cōtrahere possent, dispensauit. Sed ille paulo pōst ad pristinam impietatem rediens, deterrimamq; illam viam, quæ signata & impressa erat vestigiis quondam Ludouici Condensis patris sui impiissimi Catholicæ Ecclesiæ persecutoris ingressus, eisdemque vestigiis insistens, se quoque hæreticorum ac cōsceleratorum hominū dicti regni Galliæ Ducem, ac defensorem bellorumque ciuilium ac seditionum authorem præstitit, militum hæreticorum externorum copias in Galliam transduxit, vrbes & oppida expugnare tentauit, templa euertit, sacra violauit & populatus est, sacerdotes indignis modis necauit, ministrosque impietatum substituens

peruersam illorum doctrinã publicari & custodiri iussit, denique omne feritatis & sæuitiæ genus tam in Dei ministros, quam in cæteros Catholicæ fidei cultores exercuit.

CENSVRA.

De Bonifacio VIII fertur, quòd vt vulpes ingressus sit Papatum, regnauerit vt Leo, & mortuus sit vt canis. Papa verò Sixtus hactenus vulpem & leonẽ se præbuit, nũc rabidi canis instar illustris. Principem Henricum Borbonium nõ solùm mordet, sed ipsius etiã laudatissimos parentes piè in Domino defunctos, idq; cõtra Dei mandatum, quod iubet ne surdis maledicamus. Sed quid non audeat Antichristus in homines mortales, qui in Filium Dei viuentis est contumeliosus? Equidem Ludouicus Borbonius Princeps Condæus vir fuit post omnem memoriã inter Gallos hostium etiam testimonio fortissimus, singulari studio præditus, ad regiam dignitatem & patriæ libertatem conseruandam: Inprimis verò Euangelii propagandi zelo valuit aduersus tyrannidem Antichristi Romani. Multa in hunc finem

Leuit. 19.

Elogiũ illus. Principis Ludouici Condensis, eiusdẽque mores proditoriè facta.

finem subiuit pericula, infinitos pertulit labores, manus sæpe cũ Ecclesiarum reformatarũ oppugnatoribus in Gallia cõseruit. Tandem anno LXIX mense Febr. ad Bassacum equo occiso in terram fusus fortiter pugnans ab hoste capitur, data tamen ei prius fide, quòd incolumis cõseruaretur, sed mox vnus Ducis Andegaui excubitorum præfectus à tergo Condæi caput globulo traiecit, quo cõtinuò mortuus est Denique vt pro Christi Euangelio, pro Ecclesiarũ reformatarũ libertate & patriæ incolumitate heros ille vitam cõsecrârat, ita dũ eam proditoriè amisit, hostes suos victus vicit, mortem mortuus, posteris suis testimoniũ pietatis & virtutis relinquẽdo; quod imitẽtur. Vxor eius quæ à Papa traducitur è Royẽsi familia illustri selectissima matrona fuit, & ob pietatis, castitatis & fidei dotes quib. prædita erat, Gallia illam superstitem coluit, mortuã ingemuit, & ipsius nomẽ & memoriam adhuc colit, & veneratur. Henricus filius hodie Princeps Condæus qd vtriusque parentis virtutem & pietatem imitatur, hæreticus Catholicæ Ecclesiæ

Ludou. Principis Cõdæi vxor è Rouẽsi familia pia & casta.

Henric. Princeps Condæus vtriusque parentis pie

tatẽ & virtutẽ imitatur.

persecutor, hæreticorũ dux & defensor, templorum euersor, sacrorum cõcussor, sacerdotum homicida à Papa falsò designatur. Quid non? Mariæ etiam Cliuensi eius vxori iam dudũ piè mortuæ os impudens Antichristi non pepercit. Ambo certè coniuges pii, paulò antè lanienã Parisiensem matrimonii sacro vinculo feliciter in Ecclesia Dei coniuncti fuerunt, impiis sacrificiis impolluti, donec, vt supra docuimus, publica vis accessit. Quid verò iactas ea (ô Sixte) quæ postea illis cõtra voluntatem acciderunt, & per vim extorta sunt; cùm constet consilio antecessorum tuorum proditionem & stragẽ eiusmodi tũc perpetratã fuisse, vt à creatione mundi nulla adeò detestanda hypocrisis, nulla crudelitas adeò execrãda, nullum adeò execrabile periurium extitisse legatur. O nuptiæ regiæ, infaustissimæ! ah conuiuia Thyæstea sanguine tot piorum fœdata! Etiam Deus omnipotẽs te, Sixte, & tuos qui roboramini adhuc in illa prauitate & linguis vestris sicut nouaculis aberrantibus mortuorum & superstitum nomina & iugula petitis, & quantum

Nuptiæ regiæ infeliciter celebratę Lutet. 1572 mense Augusto.

Psal. 52.

tum in vobis est, læditis; Deus, inquã iustus destruet vos in æternum, euellet vos è tabernaculo suo sancto, & eradicabit vos è terra viuentium.

EXCOMMVNICATIO.

Quæ omnia cùm manifesta, publica & notoria sint, cumq; nobis plenè & legitimè cõstet, præsertim ex processu tempore eiusdem fe. re. Gregorii Papæ prædecessoris nostri cõfecto, & aliis quam plurimis documentis & grauissimis testimoniis Henricum quondam Regem, & Henricum Condensem prædictos notorii & inexcusabilis criminis hæresis & in hæresim relapsos atque etiã hæreticorum fautorie reos existere; Nos gladium vindictæ contra eos pro officii nostri debito exercere coacti vehemẽter indolemus, quòd illũ in hãc prolem detestabilem ac degenerem inclytæ Borboniorũ familiæ, in qua spectatæ religionis candor & virtutis decus ac in sedem Apostolicam obseruãtia omni tempore emicuit, pro his sceleribus conuertere debeamus. Itaque in præcelso hoc solio & in plenitudine potestatis, quã ipse Rex Regũ & Dominus dominantium, licet nobis indignis tribuit, constituti auctoritate Dei omni-

potentis, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius & nostra, ac de venerabilium fratrum nostrorũ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, pronuntiamus & declaramus Henricum quondam Regem & Henricũ Condensem supradictos fuisse & esse hæreticos, in hæreses relapsos & impœnitentes, hæreticorum quoque duces, fautores & defensores manifestos, publicos & notorios, sicq; læsæ Maiestatis diuinæ reos, & orthodoxæ fidei Christianæ hostes, adeò vt nulla possint se tergiuersatione aut excusatione defendere.

CENSVRA.

Ex falsis præsuppositis necesse est omnino falsas sequi conclusiones; Principia verò quæ Papa Sixtus supra assumpsit tanquã notoria, manifestũ mox fiet esse falsissima. Ridiculum certè est, quod ait, ex Gregorii Papæ antecessoris sui processu de illis legitimè constare. Quis enim processus Romæ instruendi facultatem dedit Gregorio XIII aduersus Regis consanguineos, qui ne in Gallia quidem iudicari, nisi à duodecim Paribus iure possunt? Certum etiam est regnum Gallicũ

Vide Edictũ Ludouici 11

sedi

sedi Pontificis Rom. subiectum non esse; ex cuius priuilegiis sæpe iudicatū est Regem aut eius subditos non posse excommunicari. Quo dato & tamen non concesso, quærimus, an illustrissimi Principes Borbonii, quos Papa hîc reos facit legitimè in iudicium vocati fuerint, an testes cōtra eos producti, an testium nomina ipsis patefacta, vt contra eorum personas & dicta excipere possent; quæ nemini obscurum est in legitimo processu adeò præcisè obseruanda esse, vt si iudex ea negligat, & sententiā pronuntiet, illa non lædatur damnatus, sed solus ille à quo damnatur. Sed dices, recepti iuris esse, quod in notoriis opus non sit iuris ordinem seruari. Agnoscimus hanc regulam ex lacunis Extrauagantium desumptam esse; sed eam etiam cum iure naturali, gentiū, & ciuili, & præsertim verbo Dei ex diametro pugnare norūt Iurisperiti & Theologi orthodoxi; inter quos Augustinus grauissimè admonet, vt cùm agitur de p. sona Principū, seueriſſimè iuris ordo seruetur cùm propter grauitatem criminis, tum propter conditionē accusati, de quo

confirmati 1467 à curia Parisiēsi.

Can. si quis non recto 24. q. 3.

Can. ad nostram 3. ext. de iureiur.

Augustin. in gloss. sup 13. c. ad Rom.

dictum est, Omnis anima potestatib. superioribus subdita sit, &c. Secundò quærimus, quo testimonio probat Sixtus notorium esse supradictos illustriss. Principes Borbonios hæreticos esse? Hæretici enim illi sunt, qui omnipotentiæ Dei detrahunt negantes eius diuinitatem; qui in fide orthodoxa vacillant, aut pugnantia eum verbo Dei pertinaciter tuentur, aut amore lucri & principatus nouas gignũt aut sequuntur opiniones. Quæ certè nec in Seteniss. Regem Nauarrenum, nec in illustriss. Principem Condæum quadrãt. Illorum enim fidei confessio publicè edita, testatur eos credere & eam doctrinã amplecti, quam orthodoxa Ecclesia secuta est & adhuc sequitur. Mores verò eorũ ab ambitione alieni sunt & sua sorte contenti viuunt; tantumq; abest, vt gloriam venentur aut principatum ambiãt, vt quotidie bonorum, honorum & principatuum propriorum pro Euangelii tutela iacturam non mediocrem experiantur. Tertiò quærimus, an illi qui errant reipsa, & tamen cupiunt doceri, hæretici habendi sint, nec ne; an non priùs deceat illos

l. 1. C. de sum. Trinit. & fid. Cath. Auguſt. lib. de vtil. cred. cap. 1.

illos erudire quàm damnare? Ingens profecto discrimen inter hæresim & errorẽ. Omnis enim hæresis error est: at non è diuerso omnis error iudicari hæresis potest, teste Augustino in opere de hæresib. Ex quo fit vt qui detestandum hæreseos crimen à se depellit errorem non inuitus cõfiteatur. Errare namque omnibus hominibus adeò est familiare & quasi ingenitum, vt ne illi quidem à periculis errorũ tuti sint qui spiritualium donorum ornamentis in Ecclesia Dei cæteris præcellũt. Equidem quò magis cõmune est omnibus hominibus errare, eò iustius errantium dolere vicem atque omni studio eniti, vt in meliorẽ viam deducantur. Exigit enim Deus in lege eam ab omnibus charitatem, vt haberi velit rationem vel bruti animantis, si fortè aberrauerit aut lapsum fuerit. At pater sacratissime, prædicti Principes, quos tu lapsos esse dicis, petunt erudiri, fatẽtur se errare posse, hæreticos esse nolle: parati sunt sententiam mutare, si de prætẽsa hæresi ex verbo Dei in legitimo cõcilio conuincantur: Cui etiam se subiiciunt. Cur tu idem non facis? Exod. 23.

cur ſtertis? cur non doces? cur concilium legitimum non curas? ſcimus, quid ſis reſponſurus, damnatam eſſe ſuperioribus conciliis eam doctrinam, quam prædicti Principes profitentur: ſed a quibus? ab illis nempe qui Iudicis & Partis ſimul officio functi ſunt. In concilio Baſilienſi illa opinio tanquam hæretica damnata fuit, quæ vult Rom. Pontificem conciliis eſſe ſuperiorem; hanc tamen concilium Tridentinum non ſolùm approbauit, ſed tãquã ἀπόδειξιν inter decreta ſua compilauit. Quid Conſtantienſe concilium decreuerit de fide hæreticis non ſeruanda, lippis & tonſoribus notũ eſt; quàmq; perfidè Ioannes Huſſius combuſtus fuerit ab illis, qui eò conuenerant; non vt Eccleſiã reformarent, ſed vt fermentum fermento adderent: Quot verò & quanta bella ciuilia excitarint ad tyrannidem ſuã per fas & nefas aſſerendam, nouit vniuerſus orbis Chriſtianus: Ita vt in prouerbiũ de illis duobus conciliis abierit, Meretrices conueniſſe vt caſtitatis normam pudicis matronis ſuggererent, & labra ſimiles lactucas habuiſſe. Verùm Sixtum contra

4. vol. Conc. ſeſs. 12.

iſta

iſta ſtomachantem & ad cætera perlegẽda feſtinantem placidè audiamus.

EXCOMMVNICATIO.

Ac proinde eos damnabiliter incurriſſe in ſententias, cenſuras & pœnas ſacris canonibus & conſtitutionibus Apoſtolicis, legibuſq; generalibus & particularibus contentas ac hæreticis relapſis & impœnitentibus debitas & ſpecialiter eosdem fuiſſe & eſſe ipſo iure priuatos, Henricum quõdam Regem videlicet prætenſo Nauarræ regno, illiusq; parte quam adhuc obtinuit; nec nõ Bearni: alterũ verò Henricum Condenſi & vtrumque eorumq; poſteris omnibus, & quibuſcunque aliis Principatibus, Ducatibus, Dominiis, Ciuitatib. & locis, feudisq; & bonis etiam emphyteuticis, & ſucceßionibus nec in dignitatibus, honoribus, muneribus & officiis, etiam regiis, ac iuriſdictionibus & iuribus quæ de facto detinent, & ad quæ ius quomodolibet habuerunt ſeu prætendunt, eoſdemq; propterea ſe illis reddidiſſe indignos, ac fuiſſe & eſſe inhabiles & incapaces ad illa retinenda, & alia huiuſmodi in poſterũ obtinenda. Ac pariter eos ipſo iure priuatos & incapaces ac inhabiles ad ſuccedendũ

in quibuſcunq; Ducatibus, Principatibus, Dominiis & regnis, ac ſpecialiter in Regno Franciæ, in quo tot atrocia & nefaria crimina patrarunt, ac regno ipſi annexis dominiis, iuriſdictionibus & locis, cæteriſq; omnibus bonis & rebus prædictis, & ad illa aliàs quomodocunque acquirendum, prout etiam ex abundanti & in quantum opus eſt, nos illos illorũque poſteros priuamus in perpetuum, videlicet Henricum quondam Regem Regno Nauarræ, & illius parte ac Bearni, & alterũ Hẽricum Condenſi, ac vtrumque & eorum poſteros aliis Principatibus, Ducatibus, Dominiis, Feudis ac cæteris omnibus bonis & rebus, nec non iure ſuccedendi & acquirendi aliisq; prædictis vniuerſis ac ſingulis. Ac etiam in perpetuum inhabilitamus eoſdem, eorumque poſteros ad illa, & ad ſucceſſionem in quibuſuis Principatibus, Ducatibus, Dominiis, Feudis & Regnis, & ſignanter in Franciæ Regno, & illi annexis omnibus ſupradictis, ſupplentes omnes iuris & facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem.

CENSVRA.

Hæc verborum tonitrua à Sixto magna

gna vocis & animi contentione prolata, euanescentis aëris instar peribunt; si tria tantùm in materia Excommunicationis notauerimus. Primò, Excõmunicationem censuram esse spiritualem, remediũ ad seruandum ægrotum nõ ad occidendum; quod adhibetur ad salutẽ eius cui applicatur. Euangelium enim, vt ait Paulus, est potẽtia Dei ad salutem omni credenti: quòd si odor mortis, in mortẽ est, id fit vitio increduli, non Dei: ex cuius præscripto cùm censurã, de qua agimus, fieri necesse sit, concludendum est pharmacum esse ad sanandum animam peccatoris, vehemens quidem & quod nisi in morbis animę acutissimis tentatis primùm mitioribus remediis adhiberi debet; si secus fiat, non remedium, sed venenum, non ad sanandum, sed occidendum peccatori propinatur. Respondeant nũc Sixtus & Cardinales, ex quo scripturæ sacræ loco didicerint excommunicationem esse gladium vindictæ, nisi illud à Petro Malchum percutiente se accepisse glorientur. Sermo quidem Dei viuus & efficax penetrãtior est quouis gladio an-

Rom. 1.

Excõmunicatio, non ad vindictã, sed ad peccatoris salutẽ instituta est.

Ad Heb. c. 4.

cipiti; sed gladium hunc nobis ostendat Antichristus Roma. & fidem ei adhibemus; conciliet etiã ista, arma militiæ nostræ non esse carnalia, & tamen potestatem sibi vindicat imperiosam, qua mutet, vt Canon loquitur, quadrata rotundis; destruat, ædificet, animas demittat ad ima inferni.

Secundò notandum est Excommunicationem fieri post serias & sæpius iteratas ex verbo Dei admonitiones, hincq; sequitur peccatorẽ per scripturam sacrã ante omnia esse docendum de peccato commisso. Nam, vt ait D. Paulus, tota diuinitus est inspirata & vtilis ad docendũ, ad redarguendum; non ad cogendũ vel puniendum. Itaq; aberrantes in fide vel in moribus non hominum authoritate, non canonibus aut extrauagantibus, non traditionibus (quibus frustra colitur Deus) ad resipiscentiam sunt prouocandi; sed sola Dei doctrina cùm in lege, tum in Euangelio per Filium Dei, per Prophetas & Apostolos annunciata. Concipiendæ etiam sunt preces Ecclesiasticæ ex vsu & consuetudine Ecclesiæ primitiuæ, quib.

1 Timot. 3. Præcedere debent Excõmunicationẽ, frequẽtes ex verbo Dei admonitiões, preces, & officia charitatis non pauca. Matt. 15.

Vide histor. Eccles.

pecca-

peccator Dei gratiæ commendetur. Officia charitatis in eum sunt viurpanda, quibus ad veram pœnitentiam inuitetur. Dicāt verò Sixtus & Cardinales Romanistæ, num illustrissimos Principes Borbonios, quos crimine hæresis damnāt temerè, ex verbo Dei erudierint, docuerint & ea Christiana charitate prosecuti sint, quam Christus iubet; Egregii scilicet fuerunt illi monitores, de quibus suprà Papa Sixtus mentionem fecit, qui in cōspectu adolescentum Principum gladiis cruentissimis sanguinem piorum in cæde illa Parisiensi tanquam aquam effuderunt, & posuerunt cadauera seruorum Principum in aceruos lapidum, eademq; volatilibus cœli & bestiis terræ deuorāda exposuerunt. Quæ nam verò fuerunt preces tunc adhibitæ? blasphemiæ nempe in Deum, iniuriæ in viuos, calūniæ in mortuos; officia charitatis fuerūt proditio, armorum inuasio, infractio ostiorum & fenestrarum, & ex illis occisorū cadauerum proiectio in plateas & flumina: seditiones per vrbē, assassinationes innumeræ, homicidia in ipsis etiam Principum cubicu-

Hypotiposis tragis editæ Parisiis 1572, 24. August. Psal. 79.

lis commissa, mutilationes, stupra in virgines & matronas, cædes, latrocinia, violenta abductio ad sacrificia Papistica: denique vis fuit publica, cuius modos & casus quibus commissa est, non animò assequi, nedum sigillatim exprimere quisquã possit. Hæ sunt monitiones Christianæ, quibus solet Antichristus Rom. aberrantes in viam reuocare.

Excommunicatio legitime decernitur non oligarchia, paucorum ambitione, & impetu, sed Ecclesiæ iudicio, misericordia, & consilio.

Tertiò notãdum est, Excommunicationem fieri nõ debere nisi legitimo Ecclesiæ iudicio, quæ vt mater est filiorum Dei, quos gignit & educat, ita cũ illis interdum desipientibus maternè & misericorditer agit. Et quemadmodum medici nunquam cauterium adhibent, nisi re bene & maturè deliberata, & si sit adhibẽ dum, vim eius quantùm possunt, moderantur: Ita Ecclesia Dei antequam remedio Excommunicationis vtatur, consilio, prudentia, & suffragiis cœtus Ecclesiastici petitis & expensis non paucorum arbitrio, libidine aut temeritate rẽ adeò graue aggreditur. Quicquid verò in peccatorẽ decernit, ad ipsius salutem, non perniciem spectant. At tu Romana meretrix,

trix, etsi matrem plenis buccis te esse iactitas, non dissimilis tamen es ei, quæ coram Salomone olim simulans se filiũ repetere, in duas partes dilaniari assensa est; Ita tu Principes Borbonios tibi ereptos esse præ te ferens eosdem in duas partes diuidi assentiris. Quid assentiris? imò tu prima fuisti, quæ cõfœderatis Gallis hoc cõsilium dedisti, vt armis ad internecionem vsque eos delerent. Tu regnis, Principatibus, feudis, dominiis, successionib. eos abdicas: Et quod omnẽ exuperat tyrannidem, hac tua excommunicatione ipsorum etiam posteros pari pœna afficis. At Deus omnipotens per Propheram suum ita loquitur: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem Patris; iustitia iusti super eum erit, & impietas impii super eum erit. Certè peccare non potuerunt illi posteri Serenis. Regis Nauarræ, & illustris. Principis Condensis, qui in rerum natura adhuc non extant, neque propter maiorum suorum hæresim, si qua in ipsis est, gradu nobilitatis bonis aut successionib. priuari diuino iure possunt. Si verò posteri super-

1. Reg. 3.

Ezech. 18.

Ex his cõstat falsum esse quod canonistæ dicũt, Filium hæretici non succedere.

ſtites ea hæreſi non tenentur, quæ prædictis Principibus obiicitur, æquum non eſt eos pari ſupplicio teneri, qui pari crimine nõ tenentur. Sed vt tyranni Antichriſti iniquitas meliùs innoteſcat, legãtur Biblia ſacra & hiſtoriæ Eccleſiæ primitiuæ, ne apicem quidem in illis inueniemus de imminutione capitis aut publicatione bonorum ad eos pertinentium qui cenſuram Excommunicationis legitimè ſubierunt. Nam vt Iuriſconſul. ait, Qui ſenatu motus eſt, nõ propterea minutus capite cenſetur: Ita Excommunicatus, non afficitur pœna, quæ immutet qualitatem perſonæ aut priuationem vel publicationem bonorum inferat, ſed mouetur tantùm ab ordine membrorũ Eccleſiæ & priuatur vſu ſacramẽtorum donec reſipiſcat. Hæc confirmãt exempla multorũ Imp. qui licet propter hæreſin proſcripti ſint, non tamẽ iura imperii, regni, dominii aut ſucceſſionũ eis erepta ſunt, denegata aut abdicata ab Eccleſia Dei; vt in Conſtantino III, & vt in Conſtantio Arriana hæreſi infecto; in Anaſtaſio I, Eutychianæ hæreſis profeſſori;

13. ff. de Senat.

Excommunicati regnis, aut eorum ſũ ceſſione abdicati nũquã ſunt ab Eccleſia Dei.

sori; quæ tamen concilio Chalcedonensi dãnata fuerat. Plura addere possemus, sed quia ad reliqua refutãda festinamus, ab illis abstinebimus; legat tamẽ, qui voluerit apud Nicephorum lib. 13. cap. 34. Can. præcipuè, Can. Theogaldus 11. quæstio. 3. &c.

EXCOMMVNICATIO.

Quin etiam proceres, feudatarios, vassallos, subditos & populos regnorum, ducatuum, principatuum & aliorum dominiorum, etiã alium superiorem non recognoscentes ac cæteros omnes, qui illis quomodocunq; iurauerunt, à iuramento huiusmodi ac omni prorsus dominii, fidelitatis & obsequii debito perpetuo absolutos esse, prout nos illos omnes tam vniuersè quàm singulatim authoritate præsentium absoluimus & liberamus, præcipimusq; & interdicimus eis vniuersis & singulis, ne illis eorũve monitis, legibus & mandatis audeant obedire: Qui secus fecerint, eos excommunicationis sententia innodamus eo ipso.

CENSVRA.

Supra docuimus dominia, Regna &

ſucceſſiones interrumpi non poſſe vel eripi Regibus, Principibus vel dominis, etiamſi ab Eccleſia Dei legitimè propter hæreſin excommunicati eſſent. Itaq; neceſſariò ſequitur ſubditos ſolui non poſſe obedientia aut iuramento quo dominis obſtricti ſunt. Nulla quidem eis fit iniuria, dum aduerſus Deum præcipientibus parere ſubditi detrectant: Regum enim Edictis impietatem & ſcelera contra primam & ſecundam tabulam iubentibus nequaquam obediendum eſſe docet axioma illud Apoſtolicum; Obtemperandum potius Deo eſt quàm hominibus. Idcirco Daniel edicto Regis Nabucadnezar impio non paruit. Reprehẽdit etiam Propheta Iſraëlitas, quòd Ieroboami mandatis ſacrificia illicita iubẽtibus morem geſſiſſent. Sed aliud eſt Regũ impiis legibus non obedire, & facta ipſorum impia non ſequi, aliud eſt Reges ex regnis aut ſucceſſionibus regnorum deturbare propter hæreſim, & iuramentũ obligationis ſoluere hoc nomine, quòd cenſuram Eccleſiæ Dei incurerrint. Nã cùm accidit vt ab impio & ſacrilego Rege ve-

Acto. 5. Dan. 6. Oſeæ 5.

Aliud eſt regum impietati morem non gerere, aliud propter ipſorũ impietatem rebellionem cõmittere.

ge vexemur, frænare impatientiam nostrā debemus, & meminisse delicta nostra impiis Regibus tanquam flagellis à Domino castigari, subditorum non esse per rebellionem hæresim aut impietatē Regum emendare; quorum corda Deus flectit quò vult & regna eorumque mutationes dirigit. Itaq: humilitate, patientia, relipiscentia & precibus ad hanc rem opus est. Quod etiam à D. Petro Apostolo, cuius falsò successorē se esse Papa gloriatur, sanctè obseruatum videmus: licet enim Ecclesia Neronis tyrānide premeretur, admonet tamen omnes, vt obediant Regibus siue piis siue impiis, siue bonis siue malis. Iubet etiam Dominus per Ieremiam Prophetam, vt Nabucodonozori populus Israeliticus obtemperet, & pro eius prosperitate preces concipiat. Dicit etiam Ambrosius militū Christianorū factum nō improbat, quòd Iuliano Apostatæ, & excōmunicato militarent. Tantùm admonet, ne quid gerant contra honorem Dei. Quæ cùm ita sint, concludēdum est ea omnia decreta, quæ à Gregorio VII, Honorio III, Lucio III, Inno-

1. Pet. 2.

Ierem. c. 27.

Can. Iulian. 11. q. 3.

centio III, aliisq; Antichristis Roma de pœnis excommunicatorum sancita sunt abusiua, vt loquuntur, tyrannica & iniusta esse contra Scripturarum authoritatẽ & Ecclesiæ Dei consuetudinem.

EXCOMMVNICATIO.

Cæterùm eorundem charissimum in Christo filium nostrum Henricum Francorum Regem Christianissimum per viscera misericordiæ Iesu Christi hortamur, rogamus ac etiam monemus, vt memor præstantissimæ fidei, & religionis Regum maiorum suorum, quã quasi hæreditatem longè ipso regno potiorem abeis accepit, memor etiam illius iuramenti, quod in eius coronatione de exterminandis hæreticis solemniter præstitit, authoritate, potestate, virtute atque animi magnitudine verè regia ad executionem tam iustæ huius sententiæ nostræ incumbat, vt scilicet in hoc quoque gratũ se omnipotẽti Deo exhibeat, & matri suæ Ecclesiæ obsequium debitum persoluat.

CENSVRA.

Si iurauit Henricus III, Rex Galliæ hæreticos exterminare, & illud iuramentum

tum

tum, vt Sixtus vult, præstare tenetur; necesse est omnino, vt Papam & suos Cardinales exterminet, qui hæretici non tantùm sunt, sed Antichristi, de quib. prædixit Ioan. Quis est mendax, nisi is, qui negat Iesum esse Christũ: hîc est Antichristus negans Patrem & Filiũ. Negant autem Patrem & Filiũ illi, qui in eo vno perunicam eius oblationem non confidunt: qui à Patre Deo iustificatos se esse nõ credunt per fidem solã in Iesum Christum; sed ex adulteriinis Missæ sacrificiis quotidie iteratis, ex opere operato, ex congruo & condigno, vt barbarè loquuntur, salutem & gloriam æternam venantur. Itaq; rogamus humiliter regiam Maiestatem, vt potius memor sit illius iuramenti, quo ore & scripto pacẽ Ecclesiis reformatis, subditis suis liberum exercitium Religionis, animæ, corporis, bonorum securitatem & clientelam publicè pollicitus est. Neque Papæ & eius orum verbis fucum sibi fieri patiatur, sed Deũ ita loquentem audiat: Non assumes nomen Domini tui frustra, quia Deus pro innocente non habebit eum, qui assumserit nomen eius. 1. Ioan. 2. Heb. 10. Exod. 20.

in vanum. Rogamus etiam obnixè Regẽ, vt Concilium nationale & liberum indicat in Gallia, cui sistantur Papa Sixtus & Cardinales Romanistæ, vt doctrinæ, quã profitentur, rationem ibi reddant. Vicissim etiam ad illud Concilium liberè & securè admittantur Ecclesiarum reformatarum ministri & Theologi. In eo concilio præsit verbum Domini, quod sceptrũ oris eius à Propheta vocatur. Esa. 11. Parati sumus Regi & vniuersæ Galliæ notũ facere, Papam & suos Cardinales hæreticos esse, pestes Ecclesiæ Christianæ & infensissimos Dei hostes, impios & piorũ persecutores; quos tandem Dominus conficiet spiritu oris sui, & aduentu illustri suo abolebit. 2. Thess. 2. Nostram porrò fidem Maiestati regiæ pigneramus, nos in ea synodo ex S. scripturæ testimoniis probaturos, fidei Christianæ, & sacramentorum doctrinam, in Ecclesia Romana (quam falso Catholicam vocant) deprauatissimam, Ecclesiarum verò Gallicarũ, quæ ab illa defecerunt confessionem Orthodoxam, & libris Canonicis congruentem esse. Denique obtestamur Regem Henricum

ricum Galliæ, vt idolum Romanum fugiat, ſaluti ſuæ conſulat, pietatem colat, & ſubditos ſuos Chriſtum piè amplectentes, clientela ſua foueat & tueatur. *Durum enim ſemper fuit contra ſtimulos calcitrare.*

EXCOMMVNICATIO.

Præterea omnib. venerabilib. fratrib. noſtris, Primatibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis per regnum Franciæ, Nauarræ, Bearni & alia prænominata loca conſtitutis, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, vt quàm primùm harum literarum & exempla ad eorum manus peruenerint, illa publicari faciant, & quantum in ipſis erit, ad effectũ perduci curent. Volumus autem quòd eædem præſentes noſtræ literæ ad valuas Baſilicæ principis Apoſtolorum, & in acie Campi Floræ de vrbe, vt moris eſt, affigantur & publicentur, quodq́ earũ exemplis etiam impreſſis, ac Notarii publici manu & prælati Eccleſiaſtici, eiusve Curiæ ſigillo obſignatis eadem prorſus fides in iudicio & extra illud vbique gentium habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hãc paginam noſtræ pro-

nuntiationis, declarationis, privationis, inhabilitationis, suppletionis, absolutionis, liberationis, præcepti, interdicti, innotationis, hortationis, rogationis, monitionis, mandati & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo octogesimoquinto, quinto idus Septemb. Pontificatus nostri, anno primo.

A. de Alexiis.

CENSVRA.

Non possumus satis demirari Sixti & Cardinalium ambitionem & impudentiã, qui Regem Galliæ adhorati sunt, supra vt sententiã quã ipsi iniuste tulerunt aduersus cõsanguineos, executioni mãdet, quasi sit illorum minister & mancipium; hîc verò præcipiunt Primatib. Galliæ tanquam subditis suis, vt idẽ exequãtur; sic q; alteram monarchiam regali potentiorem

tentiorem, & immensam potestatem in Ecclesiasticos Galliæ sibi arrogant cõtra Regis authoritatẽ, constitutiones & priui legia Regni: is enim neq; in politicis, neque Ecclesiasticis superiorem agnoscit, & disertis constitutionibus cautum est, ne Pontifex Romanus aut alius quiuis excommunicet ciuitates & corpora subiecta Francorum Regno. Ad quarum constitutionum cõfirmationem notanda est historia sequens. Anno MCCLXXXVI, Papa Bonifacius VIII Philippum IIII Valesium Galliæ Regem temere excommunicauit, sed ille habito Lutetiæ Antistitum Galliæ concilio fulmineam illa tela non solùm contempsit, sed armis etiam Papam in ordinem redegit: id approbãtibus Galliæ Archiepiscopis, Episcopis, & omnibus Ecclesiasticis. Anno etiam MCCCC LXXXVIII, Gandauenses à Pontifice Rom. proscripti fuerunt, quòd Maximilianum Comitem suum malè excepissent. Sed procurator generalis Curiæ Parisiensis aduersus illam sententiã prouocauit tãquam iniquam, quòd Gandauenses Francorum regno subditi essent.

Extraua. meruit. de priuil. leg. cap. per venerabilẽ. Extra qui fil. sint legit.

Ioan. Ignat. de excel. reg. Franc.

Beroald. in Chron.

Massæus in Chron.

Deniq; anno MCCCCXCVIII, cùm Iulius II Papa Ludouicum XII à communione remouisset, cõuenerunt apud Turonas Galliæ Antistites, illamq; sententiã Excommunicationis impiam & tyrannicam esse pronuntiarunt, cui nec Rex nec Ecclesia Gallica morẽ gerere teneretur. Hæc pauca ex multis historiis subduximus, ex quibus Rex & Primates Galliæ attendere hodie possint Papam Romanũ non esse numen quoddam cœleste, cuius dicto parere omnes oporteat. Quibus autem artibus authoritatẽ tantam sibi parârit; & quibus rationibus Ecclesia Gallica ei se subiicere detrectarit, videre est in lib. Molinæi Iurisconſ. contra Paruas datas: Admonemus autẽ seriò vniuersam Galliam, ne tyrannidis Papanæ iugo semel excusso rursus assuefiat, priuilegium prouocationis contra Excommunicationẽ Papæ illibatum cõseruet & tueatur, præsertim contra hunc Anathematismum in Serenſ. Regem Nauarræ & illustr. Principem Condæum iniuste latum: quem constat naturali, gentium, ciuili & diuino iuri repugnare, neq; executioni mandari

Molin. contra Paruas dat.

posse

posse absq; manifesto scelere & periurio, totiusq; regni Gallici perturbatione & casu. Quod si Papa & coniurati illius executionem vrgeant, &, vt cœperunt, armis regnum Galliæ perturbare pergant, iuxta leges ciuiles, licitum est, vi armata eis obsistere, quemadmodum in vi & violentia publica resistere permittitur. Etsi verò Papa sibi hac in parte obediri ab omnium ordinum hominibus petat & exigat, dicimus eius sententiam ipso facto nullã esse, quòd iudex sit incompetẽs, cui nemo de iure obedire teneatur. Postremò Sixtus iubet, vt valuis templorum Romæ bella hæc Excommunicatio affigatur. Mirum hercle est, quod Angelis non præceperit vt eam pro cœli foribus reponerent, quos in suis Canonibus authoritati suæ obnoxios facit. Sed veritus est Angelorũ Dei inobedientiam, vel ipsius etiam Petri indignationẽ. Nos verò qui hanc cẽsuram in lucem emisimus, nemini præcipimus aut imperare cogitamus; sed demisse oẽs obtestamur, præsertim Cæsarem, Reges, Principes, Respub. supremas Curias Galliæ, Academias & scholas omnium facul-

L. vt vim. ff. de inf. & iur.

l. fi. ff. de Iurisdic. omn. iud.

tatum, Ecclesias omnes, singulos & vniuersos, quibus cordi est gloria Dei & regnum Iesu Christi, vt diligenter expendant rationes & testimonia huius Censuræ; notent Papam tanquam ex tripode locutum esse sola nixum plenitudine potestatis absque scripturæ & veritatis testimoniis, & tyrannicum illud tantum vsurpasse; *Sic volo sic iubeo, sit pro ratione voluntas.* Meminerint verò illius aurei dicti, *Quod à scripturis non habet fidem, eadem facilitate refellitur, quà negatur:* Deniq; existimamus nos in medium adduxisse rationes firmas & authoritates omni exceptione maiores: quarum etiam Catalogum nomenclaturæ opposuimus eorũ, qui huic Bullæ Excõmunicationis subscripserunt. Datum in Academia nostra, Anno MDLXXXVI, Calend. Febr.

Philinus Sobathoeus.

NOMENCLATVRA AVthorum Excommunicationis.

† *Ego Sixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*

† *Ego*

† *Ego Io. Antonius Episcopus Tusculanus*
Card. Sancti Georgii.
† *M. Sitticus Card. ab Altaemps.*
†
† *Ego Innocentius Aualus Card. de Arag.*
† *Ego P. Card. Sancta crucius.*
† *Ego Guilielmus Sirleus Card.*
† *F. Michael Bonellus Card. Alex.*
† *Ego Ludouicus Card. Madrutius.*
† *Ego Nicolaus Card. Senonensis.*
† *Iul. Ant. Sanctorius Card S. Seuerinæ.*
† *P. Card. Cæsius.*
† *Ego Hier. Card. Rust.*
† *Io. Hier. Card. Albanus.*
†
† *P. Card. Deza.*
† *Ego Ant. tit. SS. Io. & Pauli Card. Caraffa.*
† *Io. Ant. Card. SS. Quatuor.*
† *Ego Io. Bapt. Card. S. Marcelli.*
† *Ego Aug. Card. de Verona.*
† *Ego Vin. Card. Montisregalis.*
†
† *M. Cardinalis S. Stephani.*
† *Scipio Card. Lancellotius.*
†
† *Ferd. Card. de Medicis.*

† *Phil. Vast. Card. Cam.*

†

†

† *Ego Vincentius Card. Gonzaga.*

† *Ego Franciscus Card. S. Fortia. S. Nicolai.*

†

† *Alexander Card. de Montealto.*

Anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimoquinto, Indictione decimatertia, Die verò vigeſimaprima menſis Septembris, Pontificatus Sanctiſs. in Chriſto Patris & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ quinti Anno primo, retroſcriptæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt in Baſilica Principis Apoſtolorum de vrbe, & in acie Campi Floræ per nos Hieronymum Lucium & Nicolaum Tallettum ſanctiſs. D. N. Papæ Curs.

Io. Andreas Panizza Mag. Curs.

CATALOGVS AVTHORum Cenſuræ.

Chriſtus Filius Dei & Epiſcopus Epiſcoporum, hominũ & Angelorũ caput.

Moyſes Legislator.

Dauid rex & Propheta.

Eſaias

Esaias,
Ezechiel
Ieremias
Daniel. } Dei Prophetæ.

Matthæus
Ioannes. } Euangelistæ.

Paulus
Petrus
Ioannes } Apostoli.

Augustin.
Ambrosi.
Hierony.
Chrysost. } Patres Theologi.
Gregorius
Bernardus

Nicephorus hist. Eccles.

Mart. Chron.
Platina
Massæus
Beroaldus. } Historici.

Ioan. Ignatius
Vlpianus
Baldus
Molinæus. } Iurisconsul.

Philippus 4.
Ludouicus.
Ludouicus 12.
} Galliæ reges.

Concil. Basilienſe
Concil. Turonēſe
} Concilia.

Authores Legum ciuilium & Canonum breuitati ſtudentes, non recenſemus.

Datum vt ſuprà Anno à Natiuitate Chriſti milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, Calend. Februar. ſtylo antiquo, non Gregoriano.

Aulus Pamruffus Acad. noſtra ſcriba.

APPEL-

APPELLATIO SEV RECLAMATIO REGIS NAVARRÆ, & Principis Condei, oppoſita futili excommunicationi Sixti quinti qui nomen vſurpat Papæ Romani: allata Romam per virum quemdam nobilẽ: & ibi locis quatuor deſtinatis publicis denunciationibus affixa 6 Octobris, 1585.

HENRICVS Dei gratia Rex Nauarrę, Princeps Bearnæ, & primus Parium Franciæ, reclamat, & ſe opponit putidæ illi excommunicationi, quam Sixtus v, dictus Papa Romæ, vibrauit in conceſſu Cardinaliũ, quinto Idus Septembr. proximi ſuperioris, aduerſus ſuam Maieſtatem; & celſitudinem Principis Condei: hancq; impiam, iniuſtam, & falſam affirmat: & ab eadem appellat more maiorũ ad curiam Parium Franciæ: inter quos eã obtinet dignitatem, qua primus in ordine cenſeatur. Quod ad confictum crimẽ hæreſeos attinet, de quo falſo, & iniuſte ab illo Sixto, qui nomen Papæ ſibi arrogat, accuſatur; ait, & affirmat hunc (ſalua eius ſanctitate) falſe, nequiter & malitio-

se mentitum esse: huncq; ipsum fore hæreticum omnium maximum; quemadmodum recipit probare in concilio libero, & secundū leges congregato: in quo, si sui copiam nō fecerit; nec illius iudicio se submiserit, repugnando legibus suorum canonum propriis; hunc existimabit turbulentum & temerarium tyrānum, Antichristum, & insignem hæreticum: Persequeturq; eum hoc nomine, & successores suos bello sempiterno: vt se vindicet de iniuria sibi, & toti familiæ Regum Franciæ illata; vti rerum præsentium status, & necessitas postulat. Si ante hac isti inflati homūciones perinde vt hic Sixtus (quū obliti officii, & extra metas suæ vocationis prolapsi, diuina cum humanis confunderēt) suæ temeritatis pœnas dederunt regibus & principibus maioribus suis, cum eadem animi magnitudine sit præditus, hanc gratiam à Deo se impetraturum sperat, qua munitus vindicet iniuriam hanc suo regi, suæ familiæ, & curiis omnium Parlamentorum Francię factā. Tandem rogat atque obsecrat oēs Principes, reges & ciuitates veræ pietatis studiosos

dioſos (quorum etiam intereſt cauere ab hac tyrānide) vt ſibi auxilium ferant: Rogat etiam omnes huic coronæ Franciæ fœdere iunctos, vt coniunctis cum illo viribus ſeſe obiiciant tyrannidi & vſurpationiiſtius Papæ, & confœderatorū ſuorum in Gallia & alibi: qui conſpirarunt aduerſus Deum, regem, & coronā Franciæ, tanquā hoſtes quietis publicæ & pacis orbis terrarum. Eodem modo proteſtatus eſt Henricus Borbonius Princeps Condeus.

LITERÆ NAVARRENI Regis, ad ampliſſimum Senatum Pariſienſis Curiæ.

DOMINI, ego vos ipſos opto & appello iudices eorum omniū quæ geſta ſunt ab eo tempore, ex quo Gallia noſtra his poſtremis motibus diuexatur. Etenim videre potuiſtis quàm variis modis hoſtes huius regni & mei fecerint periculum patientiæ meæ: vidiſtis etiā quantum apud me potuerint reuerētia in Re-

gem & publicum regni bonũ, vt in meo dolore iuſtiſſimo meipſum continerem. Interea verò is fuit euentus huius adminiſtrationis meæ, vt hoſtes Regis & regni contra me autoritate & armis fuerint cõfirmati: quam grauiſſimam iniuriam nõ dubito quin agnoſcatis inferri mihi. Itaq; meam patientiam atque obſequium eò cogi video, vt rebellionis iſtorũ det pœnas, & oportere vt ex domeſticorum arca ſatisfiat exteris, & famulis de filiorum fam. peculio. Hoc autem, Domini (ne quid diſſimulem, ſed ex veritate quod res eſt proloquar) mihi eſt acerbiſſimum. Ego verò fretus ſum protectione Dei, iudicio Galliæ, veſtris teſtimoniis, & autoritate Regis Domini mei (de hoc enim plane ſum confirmatus) ſinceritatem meam approbante. Dolet mihi hoc regnum exagitari tam miſerè: ſed nouit Deus qui in culpa ſint, eorumque pœnas perſequuturus eſt. Dolet mihi infeſtari populum calamitatibus: ſed quis pacem de induſtria conturbauerit, conſtat: conſtat, quanta me premat neceſſitas vt mihi caueam. Fruſtra vobis, Domini, in mente reuo-

reuocaturus essem conditiones antè à me propositas. Vidistis, & nouistis optimè an non dignæ essent quarum haberetur ratio. Vnum restat vt vos omnes orem pro ea fide & religione iuramenti quo obstricti estis in Galliam, vt conspirationi quã videtis factam ad euersionẽ illius, vestra obsistat autoritas. Saltem exitiali huic instituto ne adesto autoritate vestra; saltem votis vestris faueto iis qui vitã suam sunt parati profundere ad amoliendam funestam hanc dissipationem regni. A vobis nihil cupio aut postulo, quàm quod iudicaturi estis ex vestra ipsorum cõscientia. Si causæ æquitas est à me, approbetis postulo: sin autem secus, statuatis, Domini, quod ex officio vestro & huius regni vsu fore putabitis. Testẽ Deum appello, me Regi Domino meo esse & fuisse fidelem: à me diligi Galliam: à me viros bonos & virtutis amantes coli qui defendunt Galliam: à me acerbissimum dolorem percipi ex confusione & calamitate, quam video in omnem statum irruere. Hunc oro, Domini, vt vobis, quos semper esse duxi Galliæ columina, adsit virtute sua:

vt rebus ita nutantibus reportare possitis laudem quam sua virtute sæpe maiores vestri pepererunt, quod huius regni corpus opera vestra stabilitum confirmatumque fuerit. Hunc quoque spero eam gratiam erga me collaturum esse, vt ego in hac causa Regi Domino meo seruiam, & mihi boni quiq; Franci amantes regni tam bene præstent officium suum, vt opera mea exitium hostium suorum breui, & subditorum suorum tranquillitatem visurus sit: quam ad rem certum & deliberatum est mihi sanguinem & vitam meam exponere. Hic igitur, Domini, finem scribendi faciam, Deum orans vt vos in fide clientelaq; sua seruet incolumes. Ex Marsano monte, vndecimo die Octobris 1585.

HENRICVS.

LITERÆ NAVARRENI REGIS, ad Dominos D. Theologicæ facultatis in Collegio Sorbonæ.

PER libenter vobiscum, Domini, acturus sum de iis rebus quæ agitantur in hoc tempore: qui id videri à vobis profitemini, ne quid Ecclesia capiat aut patia-

tur

tur detrimenti. Animaduertistis proculdubio postremos istos hominũ quorundam motus, argumentis multis longè diuersissimis excitatos: etsi ea tandem omnia, resectis & putatis cæteris, in vnum fuerunt collata; quod est vt de integro Catholica Ecclesia instauretur, ac propterea profligentur ii quos esse contendunt hæreticos. Itaq; tanta fuit vis & quidem armata istorum, vt subsequutum sit edictum quàm proximè accedens ad voluntatem ipsorum. Dubitare autem non possum, ac ne velim quidẽ, quin pro vestra prudentia noueritis istos aliò spectare, quàm præ se ferũt sermone suo: nempe vt ad arma ruentes obducta religionis specie, illis abutantur ad euersionem eorum qui primarii sunt in familia Francorum regia, & viam sibi munirẽt ad regni occupationem. Id verò in hac ipsa religionis causa iudicari à vobis postulo, vtri plus commoditatis habeant, egóne an illi, ad Ecclesiam recolligendam in vnum, & tollendum schisma ex quo tamdiu laboramus. Fui in ea religione educatus, quam sanctam esse ac veram existimo:

hanc me ex animo ꝓfiteri vt ampliùs doceā nō eſt opus. Alioqui tam multa mala fuiſſem effugiturus commodè, quæ me oportuit perpeti, & in quibus nemo à natura voluptatem capit: neque verò defutura mihi fuiſſet ratio vtendi Regis gratia & populi beneuolentia, quam ſecundum Deum vtiliſſimam mihi eſſe noui, & ante omnia expetendam. Quæ cùm ita ſint, Domini, illud profectò eſt acerbiſſimū, & grauiſſimum eſſe confido iudicio veſtro, ſi hoc vno argumēto & ſine alia ſpecie religioni meæ renuntiauero, & vim meæ ipſius conſcientiæ atque animæ attulero. Quòd ſi tam miſer & abiectus eſſem, vt hac via diſcederē ab officio meo, optimo iure in reprehenſionem inciderem perexiguæ conſcientiæ: optimo iure diffideretis mihi ad omnia, ſi quidem illud non præſtarem quod teſte mea ipſius anima Deo me debere iudico. Quicquid autem cum ratione à me poſſunt deſiderare boni, id ipſum (niſi me animus fallit) iam vltro obtuli, & dies adhuc ſingulos offero. Id autem eſt, Domini vt inſtituar libero legitimóq; Concilio, vbi controuer-

trouersiæ in religionis causa excitatæ bene ventilentur decidanturq́, & acquiescam iis quæ in eo fuerint cõstituta. Quã viam (vt optimè nouistis) Ecclesia post omnem hominum memoriã tenuit, Regesq́, & Imperatores quoque sapientissimi in causa simili: quam viam ipsi quoq́, Domini, consuluistis Regibus maioribus nostris: qua via potuistis Ecclesiæ Gallicanæ priuilegia & iura à quàm plurimis vsurpationibus defendere: quam deniq́ viam Ecclesia florens, vt quum maximè, nunquam recusauit, vt pauculos conditionis infimę, adeoq́ hominem vnicum, in suum gremium reciperet: quamq́ hoc tempore foret iniquius ab ipsa reiici, aut etiam differri, quum vita & salus agitur tot mille animarum, opidorum, amplarum prouinciarum, summorumque hominum innumerabilium, primariorumque Principum de regali stirpe, & ad culmen regni proximè pertinentium: quib. neque vis sine grauissimis difficultatibus, neque exitium sine euersione regni afferri potest: & qui ex contrario si ad mutandam sententiam ratione adducentur, oc-

casionem præbere possint qua firma pax in regno statuatur prejudicato suo, & Ecclesia Catholica in vnum cõsolidata coalescat, feliciusq; exoriatur seculum non huic regno solùm (quod bonum foret inæstimabile) verùmetiam toti Christiano orbi & Europæ ipsi, quæ tanti tamq; potentis regni ærumnas & calamitates non potest non persentiscere. Atque hoc quidem Regi Domino meo obtuli, quod vobis, Domini, hac mea epistola placuit exponere, & cuius vos appello testes apud omnes quorum interfuturum est: vt cùm iis qui hodie viuũt, tum posteris sit notũ, non stetisse per me quo minùs hoc regnũ tranquillitate fruatur, aut Ecclesia Dei ad vnionem, pacem, & quietem pristinam reuocetur.

Quod autem adfertur in me, hæreticum esse me, vestrum est docere homines istos, quod à vobis etiam didicimus, inter hæresin & errorem magnam esse differentiam: nec omnes eos qui hæresin colunt esse continuò hæreticos. Hæretici propriè dicuntur, quos agunt ambitio & pertinacia. Hæc autem in me non potest compe-

competere, quam quisquam instituerit, nunquam adhuc fuit laboratum: sed cõtrà omnibus modis data fuit opera vt euerterer, nec rationis loco adhibitũ quicquam præter violentiam. Illa non potest mihi æquiùs obiici, qui à latissima illa discessi via amplitudinis quæ mihi per Catholicam religionem Rom. patuit, & pedeverso iniui persequutionis & malægratiæ viam, perstans in ea religione quam omnes dicunt & ego reformatam duco.

Verùmtamen vt demus sic esse; at cõtra errorem & hæresin Concilia haberi in Ecclesia solent: consultationes fiunt, vt curetur æger. Nouacula & candente ferro tum demum chirurgus vtitur, quũ infirmiores sunt emplastrorũ vires. Manifestum sanè est perturbationis argumentum, si conuersionem à subuersione, institutionem à destructione inceperis, & ab exterminatione ac bellorum clade ea quæ fraternis officiis, monitis & lenitate oportet procurari.

Neque verò satis est, si hoc obtẽditur, Concilium Tridenti fuisse habitum, in eo damnatam fuisse religionem quã co-

lo, & hæresin appellatam. Quale istud Concilium fuerit, nouistis Domini: minimè à vobis probatum esse: Regnũ totum, clerum, & Parlamenta summaque Consilia regni, omnes aduersus Concilium istud protestatos esse. Deinde non estis nescii, etiamsi legitimè fuisset habitum, id tamen non fore impedimento vt conuocetur alterum, præsertim si agatur tantorum hominum tantiq; regni salus & restitutio. Contrà autem didici, in œcumenico Basilienſi Concilio fuisse constitutum, vt decimo quoque anno Concilium habeatur ad impediendos errores qui in Ecclesiam possunt irrepere: quanto æquius ad eos qui iam introducti fuerint eximendos? Hîc ergo, Domini estote iudices, vtra pars plus æquitatis habeat, vtram in hac causa spectari magis oporteat, vtra ostendat vias huic regno magis salutareis, & Ecclesiæ commodaturas. Vt filiusfamiliâs vi exturbetur religionis specie, postulat extraneus, qui iam diu hanc tramam contexuit vt in locum illius irruat. Ego verò, Domini (etsi iniquissimum est vt cum eis comparer, qui nullum plane ius

nè ius habẽt cognoscendi de rebus & administratiõe mea) nihil aliud optaui, nec opto, quàm vt audiar in causa mea, Concilio instituar, & meliùs agam si meliùs edoctus fuero. Vtrum iudicatis, obsecro, ex æquitate agere? Quorsum igitur vniuersum hoc regnum inflammari. Quis enim dubitet vnam aliquam ex istis reb. eligi à vobis oportere? aut ciuile bellum, aut Concilium? vt pars vna regni huius ab altera profligetur, aut vtraque in vnũ compingatur & consistat simul? quæ res proculdubio maximi momenti in toto Christiano orbe ad eundem euentũ futura sit?

Testor aũt vobis, Domini, vt finẽ quẽ cupio explicem, me paratum esse Concilio acquiescere, paratum esse in eo audire Ecclesiam: itaque pro Ethnico & Publicano haberi à vobis non posse. Præterea si generale Concilium haberi non potest, me à nationali (vt faciliùs expediantur omnia) non abhorrere: quã viã sæpe in hoc regno meminimus de iudicio cõsilioq; vestro obseruari. Quòd si præter postulatum meum, cõtra omnẽ Eccle-

siæ ordinem, proscriptionibus, cædibus, durissimisq; aliis & planè barbaris modis ampliùs agitur; me constituisse defensionem iustissimam enormibus istis proscriptionibus violentiæq; obiicere: maledictionẽ verò in eos esse ruituram qui falso Ecclesiæ prætextu huic regno turbas attulerint. Vos autem mihi appello testes æquissimarum conditionum quas offero omnibus, & impositi mihi: Deum verò defensorẽ, qui pro æquitate causæ meę experturus est in aduersarios meos: & quem oro, Domini, dignetur vobis esse gratiosus. Ex Marsano monte, decimo Octobris 1585.

Henricvs.

Ad Regem,

LITERÆ DOMINI PLESSIACI, de Pacificatione motuum quibus hoc tempore infestatur Gallia, anno 1585.

Dederunt olim operam, ô Rex, summi quique Duces, Reges, & Imperatores, vt de nomine regionũ à se partarum dicerentur: vnde fuerunt Africani, Asia-

ni, Asiatici, & similium appellationes duxæ. Maiores tui, quibus amplissima non deerant à rebus partis argumēta, de quorum nomine in posteritatē insignes haberentur, sibi delegerunt, & tibi hæreditario iure contulerunt cognomen Christianissimi, vt omnibus ostenderent hūc verum hominibus honorem esse, quòd veri Christiani sint: hunc verum triumphum Principibus quos hominibus præfecit Deus, quòd religionem Christianā defendant atque promoueant.

Iis itaq; ô Rex, assentior qui hūc Maiestati tuæ finem & scopum obuersari dicunt oportere, vt Ecclesiæ restituas vnionem: opus tibi proprium, & ita adhærens coronæ tuæ, vt te perinde huius operis æmulum ac regni tui esse conueniat. De modis qui ad hoc opus efficiendum pertinent, fieri potest vt aliqua in re sentiamus aliud: superius autem est iudicium Maiestatis tuæ, vt id quod magis conducit eligat. Agitur de redintegranda armis Ecclesia. Quis autem de inutili armorum conatu ad religionis causam melius iudicet, quàm Maiestas tua? qui tanta felici-

tate arma in eos mouẽs quorum euerſio modis omnibus procuratur, vnicum hũc tandem fructum percepiſti, quòd iam agnoueris ne feliciſſimos quidem ſucceſſus bene in cõſcientias hominum ſuccedere? neque magis arma in animas poſſe, quàm vnius chirurgi nouaculam in humanam mentem, & eas quibus agitur voluntates?

Remediis, ô Rex, ſua debet eſſe proportio, ſuus commenſus & analogia cũ morbis & malis. Vis à natura in corpus eſt efficax, in aurem ſonus, in animam ratio. Adhibeatur in animas vis: hæc non plus in eas, quàm in aurẽ ratio, in maſſam corporis ſonus, effectura eſt. Hic ergo modus eſt non Eccleſiam adunandi, ſed regnũ totum euertendi; non attrahendi atque cõuertendi, ſed funditus ſubruendi. Cũque à natura ita ſit comparatum, vt nulla res alteri inferre poſſit quin eadem patiatur malũ, partis vnius euerſio ferme redimitur euerſione alterius: & eorum excidium qui à religione ſunt (vtcumque ſpes ſit commodè ſucceſſurum) confuſio ac deſolatio Reipublicæ totius futura eſt.

Sum-

Summi illi Catholici, ô Rex, qui vim tibi afferre voluerunt vt facias vim ſubditis, qui armata vi poſtulauerunt à Maieſtate tua vt ſubditos per violentiã ad Eccleſiam Roman. reduceret; illi ergo poſſunt-ne, obſecro, plus aut virium, aut euẽtus commodi ſperare ſibi, quàm conſequuta eſt Maieſtas tua? Copiis tuis præfuerunt animatis voluntate tua, tua felicitate ductis, tua denique præſentia auctis. atque hanc præſentiam tuam ego quidem iudicauerim inſtar maximę partis eſſe firmi exercitus. Quòd ſi voluntas illa non aderit (vt certè adeſſe nõ poteſt) ecquis authoritatem non ſentiat eſſe imminutam? quis exules eſſe voluntates non animaduertat quæ ab ea pendere ſolent? In primis autem quando non poteſt Maieſtas tua inter arma ipſorum in tuto agere, quis nõ videat manifeſtiſſimè hoc corpus, hunc quamuis magnum firmũque exercitum, paulatim in partes diffluxurum eſſe, ſi neque reſpectu Maieſtatis tuæ retineatur, neque compeſcatur præſentia eius? Id quidem naturale eſt vt filius à patre perferat, & quãuis à ſe ius ſta-

reputet, ipsi tamen satis est si ab ictibus sese queat obtegere manumq; obiicere, aut ab ira illius subducere. Quòd si famulus aut extraneus quisquam hoc instituerit, indignatur filius atque insolescit: animos & vires recipit, quas ex reuerentia patris deposuerat, & indignatione cõgeminat. Atque hic quidem, ô Rex, euentus ille est quem naturaliter opus est expectari à viro Principe primatio familiæ tuæ, quem homines exteri de familia tua procurant deturbari; & à multis naturalium subditorum tuorum millibus educatis sub alis & suaui imperio tuo, quos per te extermi nari cupiunt, vt sibi de nouis sedibus cogantur prospicere. Quæ desperatio (vt complectar paucis) adeò grauis est, vt indignitatem rei fortasse indignationemq; nos docere possit, ac proinde consilia extrema obtrudere, quæ ista fortè desperatio in nobis esset productura.

Architectis olim, si quando leuiores sumtus fore prædicabant vt hominem ad instituẽdam ædificationem perducerẽt, graues multæ imponebãtur legibus: quamuis hoc fieret ædificiorum causa, ex

quibus

quibus maior commoditas ad dominũ, honor verò ad Rempub. pertinet. Quod ſuppliciũ, ô Rex, in eos futurum eſt ſatis, qui vt animum tuũ permoueant ad ſubuerſionem regni, confirmare non dubitant rem eſſe factu facilimã: rem, inquã, ex qua damnũ tibi, nobis calamitas, his autem ſolis emolumentum poteſt obtingere? Hîc igitur id videri opus eſt, vt adunemus, non vt diſſipemus atque ſubruamus. Quæ aguntur, vetera ſunt mala: veterum malorum remedia veteres nouerunt probè: atque hæc quidem ſunt omnium tutiſſima: neque eſt cur confugiamus ad illa Empiricorum eſcharotica & corrodentia pharmaca, quib. nihil niſi ſanguine, cædibus, luctu, funeribus, fletu Galliam oppleuerunt: & malum tamen in quod inuehuntur, illa ipſa, inquam diuiſio de qua videntur conqueri, miſeriùs quàm antè effecta eſt. Eccleſiam priſcam diſſenſiones in religionis cauſa infeſtarunt: complures in populo hæreſes obtinuerunt: etiam Imperatores ipſos inuaſerunt. Quid tũ Eccleſia? quid optimi Cæſares cuſtodes Eccleſiæ? plenæ ſunt hiſto-

riæ. Hæresim esse opinionẽ animaduerterunt: omnis autem opinionis sedem agere in capite, ibi falsam rationis imaginẽ vmbramq; residere, quæ non nisi ratione præsente deleri possit. Concilia itaque conuocauerunt: iustum hominum idoneorum numerum omni ex parte accersiuerunt: singuli, si quid sciebant, in commune illud contulerunt: sic tandem cessit opinio scientiæ, vmbra luci, verisimile veritati, & rationi captio.

Ne putemus, ô Rex, sic demersam in obscuro Christianam religionem esse, vt declarari in Concilio non possit veritas. Hæc habet axiomata certissima, principia stata, inuictas consequentias. Illa ipsa ratio quæ in legibus res soluit difficiles, eadem potest in Theologia soluere: idq; eo melius, ô Rex, quòd lex sit Dei vnici, qui nihil contrarium suscipit, aut vllã fert antinomiam, cùm humanæ leges aliæ aliis euertãt plurimùm, siue autoribus legum inter ipsos minimè conueniat, siue à seipso idem dissentiat. Denique grauem huic legi, quæ lux vera dicitur, iniuriã facit, quisquis credit prælucere eã homini

non

non posse, eumq; augere luce: grauiorem facit, qui eam lucere sine igne non posse contendit, & illos homines qui in tenebris dicuntur esse igni tradi potiùs oportere quàm ipsos ad lucẽ pertrahi, aut latentem lucem è medio eximi. Id fortasse tibi, ô Rex, adducturi sunt quidã, non esse Concilio opus, omnino Ecclesiã sequendam esse, hanc enim errare nõ posse. Ad hæc dicta respõsiones plurimas libri suppeditant. Testamentum vetus & nouum abundant exemplis turpissimorum errorum, qui Dei populum inuaserunt; atq; hæc tamen erat Ecclesia. Conciliũ Hierosolymis Christum & Apostolos condemnauit: condemnauit igitur Ecclesia salutem suam. Prædixit etiam Paulus nos visuros Antichristum sedentem in templo Dei, quid ergo Antichristum? perditionem certè in Ecclesia adoratam. Hæ verò argutiæ sunt ad fugiendum Concilium comparatæ. Homo tenebrosus est: Ecclesia autem cœtus est hominum: Ecclesia igitur opacum est & tenebrosum corpus; neq; luminosum, nisi à Deo, quatenus in verbo eius capit lucem: hinc si

abduxeris, ſingulis momentis poteſt offendere. Quamobrē Patres legimus ſuo quemque ſeculo reformationem maximo ſtudio & vehementibus ſuſpiriis expetiuiſſe: & Baſilienſi Concilio placuit, vt decimo quoque anno Concilium habeatur ad amoliendos errores qui in Eccleſiam poſſent irrepere. Hîc autem regeritur, iam Concilium vnum fuiſſe habitum contra hanc ipſam doctrinam quę agitur. Eſto ſanè: at præproperè ſegneſcēt benefaciendo, ſi qui vno hoc ſatis habuerint. Non vſque adeò velociter priſci illi Patres defeſſi erant, quando cum erroribus ſuorum temporum pugnauerunt: ne in Arianos quidē, quamuis per diſputationes ſingulas auditos, & maxima cū libertate, & Conciliis tribus prouocatos, quartum habere Concilium recuſarunt. Enimuerò ſi tædioſum eſt remedia eadē repeti, quanto magis, ô Rex, ad bellū regredi fruſtrà iam toties vſurpatum? cuius belli ſucceſſus quamuis feliciſſimi plus periculi & damni afferunt, quàm ſucceſſus Conciliorū etiam infeliciſſimi? Quāto laudabilius futurū eſſet, obſecro, Cōcilium

cilium conuocari, quàm ſubiri aleã prælii? & congreſſum communicationemq; ſermonum abire infructuoſam, quàm fruſtra fundi ſanguinem? Atque id quidẽ verum eſt, in hac ipſa cauſa quæ agitur Concilia duo fuiſſe habita. Horum vnũ fuit Conſtantiæ, ſtudio Imperatoris Sigiſmundi habitum: vbi Ioãnes Hus & Hieronymus Pragenſis, qui in contrariã partem diſputabant, exuſti fuerunt viui contra fidem publicam; & decretũ poſt conſequutum eſt, ne fides ſeruetur hæreticis: portentoſum decretum, & malorum omnium ac concuſſionum quæ ex eo tẽpore Chriſtiano orbi contigerunt, ſeminarium. Alterum fuit Tridenti, quũ Gallia ferueret motibus, in quo de Conſtantienſis illius decreti ſententia non fuit tutum cõparere: in quo legatio tua, ô Rex, non fuit audita, neque acceptæ Chriſtianæ propoſitiones illius ad tranquillitatẽ Eccleſiæ pertinentes: in quo de nullitate contra acta ipſius Concilii proteſtati ſunt legati tui: quod denique poſtea ab omnibus ſupremis Parlamentorum Curiis reiectum eſt, adeoq; à Sorbona ipſa, vtcũ-

que omnium animos Pontifex sollicitauerit. Iudicet ergo Maiestas tua, ô Rex, quàm graui occasione possint istorũ Cõciliorum præiudicata adducere. Iudicet, istáne Concilia duo spem nobis debeant illius fructus præripere, quem liberũ legitimumq; Concilium vnum tua autoritate esset allaturum.

Vnicus hîc nodus est, quòd conuertit ad se & rapuit Pontifex ante aliquot secula autoritatẽ cogẽdorum Conciliorũ, quæ ad Imperatores solebat pertinere, put ab his Concilia celeberrima conuocata fuisse cõstat. Et quia sibi metuit ab eorum abusuum reformatione qui in Curia Romana obtinent, maximè verò ab illa quæstione adeò controuersa, Vtrùm Põtifex superior sit Cõciliis néne, de qua exstant decreta repugnantia: certo certius est ipsum, quoad eius fieri poterit, refugiturum esse conuocationem: præsertim si quam Gallicana Ecclesia procurauerit quæ Pontificem inferiorem esse Conciliis defendit semper constantissimè. Hęc ita se habere demonstrat Constantiensis Concilii ratio: quod vt cogeretur, Sigismundus

ſmundus Cæſar neceſſe habuit vacare ditionibus variis obeundis, vt eò Principes ſingulos adduceret, quòd ſeſe in Concilio ſiſtere Pontifices competitores & cõtendentes renuerent: vbi tandem fuit cõſtitutum, Pontificem ſubiici Conciliis oportere. Poſtea verò vt Tridentinũ iſtud cogeretur, notũ eſt quas proteſtationes oportuerit præcurrere, quibus artibus apud Principes Chriſtianos ſit vſus Pontifex vt ſe eximere, quantis moleſtiis contineri id ſimul potuerit ex quo cõuenerat, & quæ monopolia exercuerint Pontifices, vt id Eccleſię inutile, ſibi ſolis vtile efficerent: Quàm rem vt faciliùs aſſequerentur, concludi in iſto curauerunt Conciliis ſuperiorem eſſe Pontificem, contrà quàm altero illo fuerat conſtitutum.

Hîc igitur potior futura eſt cauſa Maieſtatis tuæ, & Pontifici os obſtruxerit, ne porrò inſtare auſit ad ſubuerſionẽ regni tui, quum legitimas omnes vias renuerit adunandæ & redintegrandæ Eccleſiæ. Quinetiam, ô Rex, in tantis regni tui difficultatibus tantaq; deſtitutione Pontificis, maiores tui Reges, de cõſilio cleri tui

ac Sorbonæ tuæ, optimum iter iam ōlim conſtrauerunt: nempe vt, ſiquidem generale haberi non poteſt, nationale conuoces in hoc regno autoritate tua. Quam rem ſummo Eccleſiæ regniq; bono Chriſtianiſſimi Reges perfecerunt, iiq; inter Chriſtianiſſimos omniū ſanctiſſimi. Atq; hæc nationalia Concilia bene conſtituta, quando Principum noſtrorū zelo fuerunt habita, ſæpenumerò præſtiterunt vniuerſalibus, quæ artes, factiones, & monopolia Romana ſollicitauerant. Teſtis eſt hiſtoria. Si expectaueris, ô Rex, dum proſpiciat Pontifex, ſerius fortaſſe futurū eſt: iam enim conflagrat regnum tuum, & hanc rem vrgeri hoc tempore tam tēpeſtiuum eſt quàm quum maximè.

Si quis autē dixerit, ô Rex, infructuoſum hunc conuentum fore; in his contētionibus futurū vt nemo velit rationi cedere, vel cauſa gloriolæ ſuæ: ſingulos daturos operam vt contentione ſumma defendant partes ſuas: alioqui de iudicibus non facilè conueniri poſſe, & alia huiuſmodi, in quibus non infitior grauem difficultatem exiſtere. Huic reſpōſurus ſum,

ô Rex,

ô Rex, Deum ſancto zelo ardentiſſimoq; ſtudio Maieſtatis tuæ de tot animarū pace benedicturū eſſe, ſuſpiriaq; & clamores exauditurum tot gentium, quæ bonū & tranquillitatem ſuam exſpectabunt ex hac congregatione: & non fruſtra dixiſſe Deum per Prophetam ſuum, nunquam ſine fructu pluuiam de cœlo in terrā decidere, nunquam ſine ſpectato aliquo effectu ſanctum verbum ipſius. Quòd ſi res eò tandem prouehuntur, ſpondere, ô Rex, non dubitauerim, me certa capita expoſiturum Maieſtati tuæ de quibus vtrinque partes inter ſe conſentiant, & ex quib. omnes homines qui vti ratione volent ac non ſe ipſos circumſcribere, facilè veritatem à mendacio, doctrinam falſam à vera queant diſcernere. Si maculis purgatus fuerit, ô Rex, oculus rationis noſtræ, eum pro certo ſtatue viſurum eſſe agnitu rumq; veritatē. Nam prælucebit veritas, quæ ſatis eſt à natura clara vt ſpectandam ſeipſam præbeat. Solùm id faxit Dominus vt animi noſtri perturbationes in ipſo limine deponamus, eoq; congrediamur pleni deſiderio videndæ & conſequendę

veritatis, & ab omni priuato ſtudio, præterquàm animarum noſtrarum, vacui.

Nónne reputas, ô Rex, quãta tibi animi requies in hac vita, quantus honos in poſteritatem eſſet, ſi dũ adhuc ſuperes, ſapientia aut exemplo tuo inualeſcens tot annos ſchiſma componeres? ſi faceres vt in toto Chriſtiano orbe canatur Angelorum carmen, Gloria ſit in cœlis, pax in terra? ſi in hoc officio Pontifices, Cæſares, & Catholicos Reges anteueerteres? ſi denique ipſos maiores tuos Chriſtianiſſimos ſuperares, te verè Chriſtianiſſimum Galliæ, Chriſtianum toti Eccleſiæ exhibendo?

Deum appello teſtem me tibi ex animo ſcribere: hoc procuro, ô Rex, vt videam Eccleſiam expurgatam memoria noſtra, vt templum terſum verſumq; videam, vt omnes vnà poſſimus conuerſari. Aſſentiuntur omnes, idque iam diu, abuſus inter nos obtinere. Quin purgantur ergo? ne oppugnemus nos ipſos, ne argutemur malo noſtro, nę oſtendemus ſcientiam noſtram in depellenda ſalute noſtra.

Interea

Interea dum hoc tantum bonum expectatur à Maiestate tua, feramus alii alios leniter, sinamus regnare tua edicta pacis, tranquillas sinamus conscientias. Qui tibi, ô Rex, id dant consilii, vt siue ad tempus, siue omnino interdicas animarũ exercitio, nõ magnopere sensu affici cõmonstrant suas, cùm alios posse putãt sine religione & cibo vitam trãsigere. Qui verò id esse aliis factu facile arbitrantur, vt secus Deum colãt quàm docent ipsorum conscientiæ, ii ostendunt euidentissimè hac ipsa lege quam ferũt aliis, quales ipsi sint; puta contemptores Dei, religione vacui, expertes conscientiæ.

Tua Maiestas, ô Rex, excusatura est hanc audaciam meam. In maximis periculis viri maximi voces minimas minimè neglexerunt. Vox canis vnici multas domos à cæde cõseruauit: anserinus clãgor saluti esse potuit Capitolio. Me ab arrogantia officium atque periculum vindicatura sunt: Nam in periculo criminosum esset mihi tacere periculum, præsertim cùm periculum adeò sit euidens, vt manifesti sit doli reus qui hoc non videre se simulauerit.

Deum creatorem oro supplex, ô Rex, vt adsit Maiestati tuæ Spiritu sancto suo, & eum tibi cõsiliarium ducemq; donet, faciatq; tibi hanc gratiam, vt post tot labores videre possis regnum suum in tuo florentissimum, & tuum in suo prospertimum ad gloriam suam, ô Rex, laudemq; tuam, & quietem populi tui. Amen.

Tuus humilimus, obsequentissimus seruus & subditus

PLESSIACVS.

PRÆSCRIPTA, QVÆ REX NOMARCHIS, PRÆfectis & eorum legatis exequenda proposuit iuxta Edictum suæ Maiest. de reuocandis suis subditis ad vnitatem Ecclesiæ Catholicæ, apostolicæ, Romanæ promulgata in mense Decembri, Anno MDLXXXV.

SVA Maiest. præcipit nomarchis, præfectis (quos vulgò balliuos & seniscallos vocant) & eorum legatis, vt indicem confi-

conficiant quinq; capitibus distinctum. Primum eorum, qui arma ferunt contra Maiest. suam, cuiuscunq; fuerint opinionis aut religionis, & in rebellione perseuerant. Secundum eorum, qui arma tulerunt, sed iis depositis in animo habent ipsius Maiest. parêre, & sese religioni Catholicæ, apostolicæ, Rom. addicere. Tertium eorum, qui Edicto audientes & obsequentes regno cesserunt. Quartum eorum, qui domi manent, & profitentur se velle viuere adinstar Catholicorũ. Quintum eorũm, qui semper domi cõmorati sunt, & in sua opinione hærent, nec abiurarunt, aut fidei confessionem ediderũt.

Curabunt Balliui & Seniscalli, diligẽtia quàm maxima poterunt, vt iudicia instituantur & peragantur de iis qui sub iurisdictione sua sunt, & arma ferũt aduersus Maiest. suam, & in sua rebellione perstant. Mandatum est etiam procuratoribus generalibus in Curiis Parlamentorũ, vt eodem modo persequantur in iudicio eos, qui ꝓpter dignitates & gradus, quos sustinent, honorum, iudicari debent in dictis Parlamẽtis. Quæ actiones instruẽ-

tur quidem, sed non decidentur antequã Rex certior factus sit.

Procedent Balliui & Seniscalli in alienatione bonorum mobilium eorum qui aduersa arma ferunt, & immobilium elocatione, si istiusmodi alienationes & elocationes, prorogatæ non sunt ab oppositionibus & interpellationibus, quæ disceptari merentur in iudiciis. In qua re iudices sequentur modum præscriptum in declaratione edita in mense Octob. proximè elapso.

Si paret locationem factam fuisse sub tranquillis temporibus ante hos motus, & omni fraudis suspicione carere: Conductores rebus locatis, vti locatæ sunt, tutè fruentur. Verùm quicquid penes eos erit, & tunc illius conductionis causa debebitur, persoluere cogentur; atque apochas & acceptilationes debiti soluti repræsentare cogentur, vt eorum debiti rationes elucidentur. Qua in re iudices nostri solutionũ prætensarum post dicti nostri Edicti promulgationem, rationẽ nullam habebunt. Animaduertent verò, ne in apochis, quæ dictam promulgationẽ præ-

præceſſere, aliquid fraudis aut dies repetitus inſit. Inquirent diligenter & ſuã Ma. certiorem facient de præcipuis difficultatibus, quæ in dictis oppoſitionibus inuenientur.

Fiet etiam inquiſitio debitorũ & prouentuum, quæ prædictę conditionis hominib. debentur, vt è manibus debitorũ extorqueantur, ſi terminus ſolutionis elapſus fuerit. Secus prohibeãtur ſolutionis tẽpore debitores aliis ſoluere quàm quæſtoribus Regis dominii, aut aliis, quib. id negotii datum fuerit per tribunos ærarii publici Franciæ in ſingulis prouinciis.

Mandabitur actuariis ſeu notariis publicis obligationes proferre, quas annotarunt & in acta retulerunt, in commodum hominum prędictæ conditionis factas. Si recuſauerint, exhibere breuiaria ſua cogentur, vt in his illæ obligationes inueſtigentur.

Qua de re Miniſtri illi certiores faciẽt tribunos ærarii publici Franciæ, vt rationes conficiantur pecuniæ, quæ inde conflata fuerit, quæq; expendenda erit, quẽadmodum Edicto cautum eſt.

Quòd ad miniſtros ſuæ Maieſt. attinet, qui extra fines regni agunt, domibusque ſuis exceſſerunt, & ad eos qui domi reſident, nec ſententiam in religione mutarunt; cedere cogentur functionib. ſuis intra tempus, quod illis præſcribetur. Secus, iudicabuntur vacare, & impetrari ab aliis poſſe, vt pro arbitrio ſua Ma. iis proſpiciet.

Dicti verò miniſtri Ma. ſuæ & alii ſupremorum iudiciorum, qui vſq; ad promulgationem Edicti opinionem nouam in religione ſecuti ſunt, ſi hanc abiurauerint & fidei confeſſionē ediderint, in fruitione ſuarum functionum conſeruabuntur; ea tamen conditione, vt ii qui iudices & quæſtores ſunt, ab exercitio & functione munerum ſuorum ſex menſes abſtineant, vt conuerſionis ſuæ veritas conſtantia eorum confirmetur.

Mandabitur iis, qui ad religionem Catholicam reducti ſunt, abiurare & fidei confeſſionem edere corā Epiſcopo diœceſis, in qua habitant, aut vicario eius, & non coram curionibus, quibus poteſtas abſoluendi non eſt. Quæ abiurationes & confeſſiones ſecundùm formulam fient,

quæ

quæ typis excusa mittetur. Et ne ii, qui procul à ciuitatib. habitant, in quib. Archiepiscopi & episcopi residēt, viarū longitudine nimium laborent aut periclitentur: Archiepiscopi & Episcopi monebuntur constituere vicarios in singulis ciuitatib. suæ diœcesis; qui abiurationes illas & cōfessiones suscipiant. Nec fas erit Balliuis & seniscallis, aut eorum legatis eas suscipere.

Quæ abiurationes & confessiones offerentur postea iudicibus in camera consilii, in præsentia substituti procuratoris generalis suæ Maiest. Coram iis abiurati iurabunt & promittent se seruaturos omnia, quæ inibi continentur: & promissum hoc sua manu signatum exhibebūt: Quo etiam promittent se neque iis fauturos, neq; suis opibus adiuturos, qui in armis sunt; & se obtemperaturos Ma. suæ & eius Edictis. Quæ promissiones & cōfessiones in acta publica Balliuorum & Seniscallorum referentur. Si secus fecerint, pœnas in Edicto & declaratione cōtentas luent.

Quia verò ministri in illis locis admit-

tere recusant eos, qui post quindecim dies in dicta declaratione præscriptos accedunt, atq; post manus iniectionem in eorum bona. Hi qui aduersa arma non tulerunt, ad edendam fidei confessionem recipientur; licet elapsis illis quindecim diebus accesserint. Et si possessa fuerint bona, horum possessio illis restituetur solutis occupationis sumptibus. Verùm si nobiles fuerint, aut ex eorũ numero, qui arma tulerunt, iniunctum iis erit ad suam Maiest. se conferre vt gratiam implorẽt. Quæ postea, vti sibi videbitur, de restituenda possessione præscribet & cauebit.

Ipso actu fiet manus iniectio in eos, qui ad Regem Nauarræ se contulisse dicuntur, vt huic inseruiant, tãquam in eos qui sunt in armis.

Eodem modo præceptum erit ministris nostris, vt per occupationem bonorũ & venditionem mobilium persequãtur eos, qui domi suæ cõmorati sunt, nec abiurarunt aut fidei confessionem ediderunt. Nisi id fecerint intra dies quindecim post promulgationẽ huius præscripti, in iurisdictione Balliui aut Senescalli,

vbi

vbi commorantur. Curabunt dicti Balliui & Seneſcalli, aut eorum legati ſingulis menſibus mitti tabulas veras & bene deſcriptas de poſſeſsionibus occupatis & reſtitutis.

CONFESSIO, QVAM EX MANdato Regis edere debent ii qui abiurant.

CREDO in Deum, Patrem omnipotentē, creatorem cœli & terræ & rerum omnium viſibilium & inuiſibilium: Et in Ieſum Chriſtum Filium Dei vnicū, qui natus eſt ex Patre ante omnia ſecula, Deus de Deo, lumē de lumine, Deus verus de Deo vero, genitus & non factus, eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre, per quem omnia ſunt facta, qui de cœlo deſcendit propter nos & noſtram ſalutem; carnem accepit per Spiritum ſanctum de Maria virgine, homo factus eſt, crucifixus propter nos ſub Pontio Pilato, mortuus & ſepultus, & deſcendit ad inferos: tertia die reſurrexit iuxta ſacram Scripturam; aſcēdit in cœlum, ſedet ad dexteram ſui Patris, inde venturus cum gloria iudicatum

viuos & mortuos ; cuius regnum nullo tempore finietur. Credo etiam in sanctũ Spiritum, Dominum & vitæ auctorem, qui à Patre & Filio procedit; qui cum Patre & Filio pariter adoratur & gloria afficitur, qui locutus est per os Prophetarũ. Credo etiam vnam sanctam Ecclesiam Catholicam & apostolicam. Fateor vnũ Baptismum pro remissione peccatorũ, & expecto mortuorum resurrectionem & vitam futuri seculi ; Credo etiã & amplector traditiones apostolicas & Ecclesiasticas, & omnes alias obseruationes & constitutiones Ecclesiæ. Approbo sacrã scripturã iuxta sensum & interpretationem, quam tenuit & adhuc tenet nostra mater sancta Ecclesia ; & nunquam admittam neq; interpretabor aliter quàm secundùm communẽ consensum & iudicium Patrum. Fateor esse verè & propriè septem sacramenta nouę legis, quæ instituta & præscripta fuere à Domino nostro Iesu Christo in salutẽ generis humani, nimirum Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitẽtiam, Extremam Vnctionem, Ordines & Matrimonium;

monium: quæ dant & conferunt gratiã. Eodem modo etiam credo ceremonias approbatas & receptas ab Eccleſia Catholica in adminiſtratione ſolemni horũ ſacramentorum. Præterea fateor in ſanctaMiſſa offerri verum, proprium & propitiatorium ſacrificiũ pro viuis & mortuis: & in ſancto Sacramento altaris eſſe verè, realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, pariter animam & diuinitatẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti, & fieri mutationem & transformationem totius panis in corpus & totius vini in ſanguinem Domini noſtri (quam mutationem Eccleſia Catholica appellat Transſubſtantiationem: Et ſub vna ſpecie ſolùm totum Ieſum Chriſtum accipi. Ego ſuſtineo & credo firmiter eſſe purgatorium; & animas, quæ ibi detinentur, precib. & ſuffragiis fidelium iuuari. Fateor in honore habendos & inuocandos ſanctos, qui cum Ieſu Chriſto regnant; & illos concipere & offerre preces & orationes Deo pro nobis; & colendas eſſe & reuerendas eorum reliquias: Nec etiam vllo modo dubito, quin opus ſit habere imagines Do-

mini nostri Iesu Christi, benedictæ virginis Mariæ, & omnium sanctorum, & iis debitum honorem præstare. Credo etiã potestatem tam excõmunicandi, quàm elargiendi remissiones & indulgẽtias relictam esse Ecclesiæ à Domino nostro Iesu Christo, & vsum harum esse perutilẽ & salutarem populo Christiano. Credo firmiter hominem habere liberum suum arbitrium, quo possit bonum aut malum facere; & peccatorem sola fide non iustificari, sed etiã bonis operibus. Agnosco sanctam Ecclesiam Catholicam, apostolicam, Roma. pro vera matre & domina omnium aliarum. Similiter agnosco sanctum Patrem nostrum Papam veluti vicarium Iesu Christi, & verum successorẽ sancti Petri principis Apostolorum. Præterea probo totum id, quod definiit, reliquit & decreuit per sanctos Canones & Concilia generalia, condemnãdo & abiurãdo quicquid contrarium est, tanquã damnatam & reprobatam hæresin. Hæc est sancta illa fides Catholica, quam profiteor coram Deo, Angelis, & vniuerso cœtu cœlesti; & coram vobis Domine N. Quam

N. Quam promitto & testor me obseruaturum & professurum (Deo iuuante) in omnibus punctis & per omnia; neq; vnquam huic repugnaturū directè aut obliquè in quouis articulo vsque ad vltimū vitæ meæ spiritum. Quòd si accidat, vt hanc retractem, me ipsum subiicio pœnis relatis in Edicto & eiusdem declaratione. Ita me Deus adiuuet & sancta Euangelia. Amen.

LITERÆ REGIS NAVARRÆ ad Clerum Franciæ.

DOMINI, queror vobiscum atque expostulo meo & Reipub. nomine; Nec possum mihi persuadere vos vno eodemq; animo ductos esse ad promouēdum hoc, quod aduersum me suscipitur, negotium. Etenim vos non latet, qua lenitate & clemētia erga vos, vel in ipso armorum furore & impetu, semper vsus sim. Nec vos fugiunt iustæ & necessariæ causæ, quæ me ad id impellebant. Nec dubito, quin tacitè apud vos, culpā istorū malorum in authores ipsos conferatis.

Attamen affirmare possum me nunquã temere vel sponte pacem & tranquillitatem publicam turbasse; sed iustos dolores meos & molestias bono & quieti huius Reipubl. multis & variis modis condonasse. Illi, quibus ita libenter ad me opprimendum vestris opibus subuenitis, si diligenter animaduertitis, nequaquam ita se gesserunt. Ambitioni suæ propriæ, speciosum zeli Ecclesiæ, indignationibusq; suis priuatis, belli publici nomen obtenderunt. Incendium in hoc regno quaqua versum excitare, illis nequaquam religio fuit: quibus magna voluptas erat Regi facessere negotiũ; & per calamitatem publicam vlciſci contemptum & iniurias, quas finxerunt ab illo sibi illatas. Aperiat Deus opt. max. mentis vestræ oculos, vt intimas ipsorum conceptiones penitus intueri possitis. Non ego pertimesco (Deus est testis) malum quodcunq; à vestris pecuniis, aut ab illorum armis creari possit: vtrumq; enim iam sæpius frustra tentatum fuit. Doleo vicem innocentis & miseræ plebis; quæ sola harum calamitatum molem sustinet. Doleo etiam conditionem

ditionem plurimorum veſtrũ, qui ad fouendam ambitionem iſtorum factioſorum, de veſtra indigentia contribuitis, quum illi de ſuis opibus vix quicquã cõferant. Doleo maximè vos in hanc culpam incidiſſe, licet non omnes eodẽ ſtudio; & aliquando huic regno patriæque veſtræ rationem reddituri eſtis de miſeriis & præcipitiis, in quæ illa veſtris ſumptib. coniicitis. Vos qui ex officio veſtro colũnæ tranquillitatis publicæ eſtis, Deo rationem aliquando reddetis de ſanguine tot innocentium hominum, qui iam effunditur; de calamitatibus, de flagitiis ex hoc bello, quod vos fouetis, naſcentibus: quod adfert gemitus, querelas, & lãguores multis familiis; quas alioq; veſtris opibus & abundantia alere, aut ſaltẽ ſubleuare deberetis: quam inſtrumentum illorum miſeriarum, egeſtatis cauſam, & reipubl. flagellum facitis. At fortaſſe zelũ Eccleſiæ obiicietis: & certè credo nõnullos veſtrum hoc adduci. Quid igitur dicet poſteritas? vos ſpreuiſſe conditiones, quas ego obtuli; vobis gratius fuiſſe omnia miſcere & turbare, quàm concilii

viam inire, quod declarationibus meis in publicum emissis à Rege petii: vos satius duxisse armis quàm pacifica scripturarũ collatione rem expedire: maluisse statũ subuertere, quàm cõuertere animas, quas à recta via aberrasse existimatis, cùm etiã de me ipso agatur, quem instruere potiùs quàm destruere deberetis? Illi qui vestro zelo abutuntur, optimè norunt non posse se præstare, quod promittunt, se, inquam, non posse vi & armis religionem, quam profiteor, extirpare. Non quærunt huius regni conciliationem, sed exitium. Reuocate in memoriam eosdem vobis auctores fuisse sub hoc prætextu vendendi bona vestra temporalia, & quidẽ incassum. Perpendite pecuniam vestram prius cõsumptum, vestramq; propensionem suppeditandi ante extinctum iri, quàm vllus appareat instituti vestri successus. Insuper nonnulli Ecclesiasticorum (nihi persuadere non possum multos fuisse, qui his clandestinis conciliabulis interfuerint) Papam contra me excitarunt, & ab illo impetrarunt declarationem quandam, qua ego in prædam exponor, & minimè

idoneus

idoneus pronũtior ad capeſſendam ſucceſſionem regni. Nolite exiſtimare me fulminibus Papę commoueri: Deus opt. max. ſuo arbitrio Reges & regna moderatur. Maiores veſtri, qui fautoribus & propugnatoribus huius Bullæ, ſtudioſiores Chriſtianæ religionis & Frãcici regni fuerunt; ſatis ſuperq; declararunt Pontificem Roman. nihil iuris in hunc ſtatum habere. Hoc vnum mihi vehementer diſplicet, homines reperiri adeò malè feriatos, vt contra bonos mores curare audeant, vt Romæ de ſucceſſione Regis, qui etiam in flore ætatis ſuæ adhuc ſuperſtes eſt, cõſultetur & decidatur. Nam cui bono, quàm vt nobis ſuſcitentur in hoc ſtatu aut plures deſtructores, aut vnus, qui vſurpet, tyrannus? Valde etiã mihi diſplicet per nos exteris nationibus innoteſcere regentem noſtram, quæ ante hac Principes ſuos ſumma cum pietate reuerebatur & ſuſpiciebat, hoc ſeculo monſtra quædam hominum produxiſſe, qui pro libidine vel ambitione ſua Rempubl. in prædam exponant, dataq; opera vicinos omnes ad huius ſtatus direptionem inui-

tent. Nam quod ad me attinet, passus est nunquam Deus, vt spes meas vltra metã vitæ Principis mei extenderem. Perdat Deus iusto furore suo omnes qui potentiæ suæ fundamenta in eius tumulo iaciunt; qui ita sibi prospiciunt, vt suis consiliis eius mortem anticipent. Sed hæc missa faciamus; Ego de vobis syncerius sentire volo, quàm vestræ actiones postulãt: satiùs duxi de vestris studiis ex meis moribus & ingenio iudicare, quàm ex factis vestris. Multi multa mala mihi molitisunt; nolo hæc omnibus imputare. Crediderim potiùs hæc artibus nonnullorũ fieri, qui aliunde impulsi sunt, instinctu fortè Iesuitarũ seminis Hispanici, & hostium commodi publici huius status. Faxit Deus, vt æquè promptè & alacriter abstineant in posterum à malo, ac ipse iã paratus sum illis condonare. Cæterùm à Deo opt. max. accepi, vt Princeps Christianus nascerer: firmamentum, incrementum & tranquillitatem Religionis Christianæ expeto: Credimus vnum Deum; vnum agnoscimus Iesum Christum: vnum & idem amplectimur Euãgelium.

gelium. Si de ſenſu & expoſitione textus eiuſdem inter nos controuerſia eſt: credo per vias illas compendioſas quas indicaui, potuiſſe nos ad concordiam deduci. Credo bellum, quod cum tanto ardore & contentione animi geritis, Chriſtianis eſſe indignum, & quod inter Chriſtianos & eos potiſſimùm qui profitentur ſe Doctores Euangelii, moueatur. Si bellũ vobis tantùm arridet; ſi placet magis prælio quàm diſceptatione decertare; ſi ſanguinaria cõiuratio delectat magis quàm concilium. Lauo manus meas: ſanguis, qui hinc effundetur, ſit ſuper capita veſtra, Scio imprecationes eorum qui affligentur, in me non poſſe cadere: Mea enim patientia, mea obedientia, & rationes quas adduxi, apertæ ſunt & ſatis notæ. Expectabo benedictionem Dei in iuſta hac mea defenſione, à quo precibus contendo, vt ſpiritum pacis & cõcordiæ, ex quo tranquillitas huius regni & cõcordia Eccleſiæ reſultet, vobis largiatur. Datum ad Montem albanum Cal. Ianuarii, Anno MDLXXXVI.

HENRICVS.

LITERÆ REGIS NAVARRÆ ad Nobilitatem Franciæ.

DOMINI eas in Reip procuratione partes à partu acceptas obtinetis, quibus de iure & iniuria vniuſcuiuſq; ita poteſtis diiudicare, vt non opus ſit iudicium veſtrum longa oratione informare: Vos in explorata pace motus fœderatorũ ad infeſtandam quietem huius regni excitari vidiſtis. Noſtis quàm patienter & æquo animo omnia tuli; licet me tamquam aduerſarium, argumẽtum & prætextum armorum ſuorũ apertè peterent. Vidiſtis fœderatos iſtos à Rege perduelles pronuntiatos, & hoc nomine perſecutos à curiis omnium Parlamentorum. Voſmet ipſos vidiſtis Regis manifeſta mandato armatos & præliantes aduerſus hos, ſub imperio Principum regii ſanguinis, Parium ac primariorum huius regni adminiſtrorum. Quamobrem non dubito, quin tanta tam paruo temporis momento facta commutatio vobis portentoſa videatur, vt voſmetipſi aduerſus ſanguinem regium Franciæ ſub imperio aduenarum, quos antea veſtris armis tanquam

quam perturbatores impugnabatis, iam arma ferre videamini: & quod peius est, aduersus eos, qui ob officium (quo Regi & regno tenentur) sub iisdem mandatis, sub iisdem ducibus, atq; sub iisdem signis eodem studio quo vos triduo ante militabant. Verùm prudenter diiudicare noluistis prima illa mandata ex Regis libera voluntate, quæ verò postea secuta sunt, ex violenta interpellatione seditiosorum profecta esse. Nam quæso, quid interea & ab illo tempore fecerunt fœderati isti; quò promeriti sint, vt nomina illa & tituli perduellium, læsæ Maiestatis reorũ, & quietis publicæ perturbatorũ: quæ Parlamentorum decretis his attributa sunt, sepelirentur? Aut quid commiserunt reformatæ Religionis professores vitã beneficio Edictorum liberam agentes (qui cum cæteris à suaMaiestate vocati ad obsequium sibi præstandum, etiam cũ cæteris ad restinguendum commune incẽdium cucurrerunt) vt iam in gratiã perturbatorum proscribantur, regno eiiciãtur, & ad capitis supplicium vndique petantur? Si Religionis ergò, nonne erat E-

dictum expressum? nonne recens repetitum? an pro crimine id imputandum est & pœnis plectendum, quod regni legib. est concessum? Si est (vt reuera est) quia fœderatorum machinationibus sese opposuerũt; nonne vos etiam eiusdem criminis conscii, iisdemq; pœnis obnoxii estis? nonne proprium quæritis excidium? nam quod aliud crimen ipsis infertur, quàm quòd Franci sint & esse velint? Ad me ipsum accedo. Siue de me ex me ipso, siue ex collatione cum fœderatis facta iudicabitis; scio vos non posse in me culpã deriuare: scio etiam vos hanc hostibus meis tacitè tribuere. Multa etiam de religione, quam profiteor, dictitant: vobis, quibus nota est regii sanguinis Franciæ præstantia, in promptu est responsio, vos præter huic nemini obstrictos esse ad honorem & obsequium præstandum: An igitur ratio mihi reddenda erit extero? nõne satis est, si Regi & Franciæ satisfecero? an quisquam mortalium queritur à me propter quam profitetur religionẽ, vim sibi factam esse? quid denique aut æquius aut magis Christiano dignum facere

potui,

potui, quàm si concilium legitimè conuocatum postularem? Administrationẽ huius status interturbare tentarũt, huius regni successioni prospicere voluerũt, & per Papam hanc Romæ decidi curarunt. Vos ne igitur, qui primum dignitatis locũ in hoc regno obtinetis, si res postularet, tam negligenter gereretis, vt in hoc officii genere præstando vos à peregrinis superari pateremini? nulla ne vobis foret posteritatis cura? sterteretis ne in hoc officio obeundo? Nam quem vidistis alium in his omnibus motibus præter Lotharingũm? Imò verò vestra manu non fuit opus ad reformandum aut deformãdum hunc statum, & in manum peregrinam transferendũ. Incumbebat prorsus peregrinis eniti, vt Franciam Francia expellerent. Controuersia ista in Francia, quæ huic causæ nimis erat suspecta, decidi nõ poterat: necessum fuit in Italia de hac sententiam ferri. Cæterùm arma sua in me vnum directè verterunt: me ipsum duello obtuli, atque ita me demisi, vt monomachia decertare non dedignatus sim. Idq; volui (ita me Deus amet) vt populũ

ab imminenti excidio vindicarē; vt ſanguini veſtro parcerem, veſtro, inquam, qui in his calamitatibus potiſſimùm effunditur. Nónne fuit ſplendidiſſima hæc via, ſi quid aduerſum me habebant: nonne in apertiſſimum campum deduxi; ſi illis ſalus & commodum huius regni cordi erat? Nonnulli pro patriæ ſalute vitam profuderunt: quales iſtos eſſe exiſtimabitis, qui vt ſe periculo eximant, interitū totius Reipubl. oculis cernere cupiunt? Veri honoris & exiſtimationis ſtudioſi virtutem & honorem profitemini: at illi quantùm honori ſuo detraxerunt, quòd tam honorificam conditionem, quā obtuli, non acceperint? quantùm verò vos veſtro detrahitis, dum aduerſus me iſtis vos comites adiungitis? vos, inquam, quibus religio eſſet aduerſus aliquem vicinū ſocios ſceleris ſe præbere? Ne exiſtimetis me illos metuere: noui, quantùm valeant humanæ vires aduerſus me: ipſi in me oppugnādo, quàm ego in propugnādo multò citius defatigabuntur. Eorum impetus antea, cùm ſuperiores eſſent, ego multò inferior multis annis excepi & repreſſi.

repreſſi. Vos qui iudicio & experiẽtia valetis, ex præteritorum collatione futurorum ſucceſſum præſentire poteſtis. Equidem mõleſtè fero ſanguinem veſtrũ, qui reſeruandus erat ad tutelam & protectionem Franciæ patriæ veſtræ, fruſtra effundi & profundi: doleo hunc aduerſus me conſumi, quem mihi (qui hunc locũ in hoc regno ſummo Dei beneficio obtineo) reſeruare debetis, quò ſub imperio & auſpiciis regiæ Maieſtatis Franciã Franciæ deuincire poſſim; cùm alioqui iã inſumatur ad eam ex Francia eiiciendam. Doleo etiam eius vicem, quòd nulla remuneratione accepta à nullo penè deplorabitur: Regi enim, cuius voluntas coacta eſt, ingrata erunt eorum obſequia, à quib. vim patitur: hi porrò, qui Regi vim inferunt, huius beneficii nullam gratiam vobis referent; quum vos Regis & nõ illorũ nomini obtemperare norint. Faxit Deus, vt iſta diligẽter perpendatis: Principes regii ſanguinis Franciæ capita ſunt Nobilitatis. Ego vos omnes amore complector: me virib. defici & perire ſentio, cùm veſter ſanguis effunditur. Extranei

hoc ſenſu carent; peregrinus nullo dãno afficitur in hac iactura. De quibuſdã iure & meritò conqueri poſſum; malo deplorare; hos omnes paratus ſum cum beneuolentia amplecti. Diſplicet mihi tantũmodo, quos animo & cogitatione ab aliis ſecernere poſſum, & quos dolo deceptos fuiſſe nouì, in communi belli alea ab aliis ſecerni non poſſe. Verùm nouit Deus mentem meam; eorum ſanguis ſit ſuper capita auctorum harum calamitatũ. Ego verò Deum oro & conſtanter orabo, vt dignetur viã nobis patefacere qua verus cultus & honor nomini ſuo tribuatur & obſequium Regi præſtetur; qua deniq; ſtatus pacatus ſit, & omnes huius regni ordines in priſtinam dignitatem, proſperitatem & ſplendorem reſtituti. Datum ad Montem albanum Calend. Ian. Anno MDLXXXVI.

Henricvs.

LITERÆ REGIS NAVARRÆ ad tertium ordinem Franciæ.

DOMINI, Non opus eſt mihi multis verbis ad cauſæ meæ æquitatem vobis explicandam. Memores eſtote nos tũ in

in pace tranquilla vixisse, & omnia prosperè in melius successisse, quum motus isti excitati sunt. Reuocate in memoriam, licet directè me aggrederentur, toto tamẽ octo mensium spatio ab armis abstinuisse, & patientiam meam limites omnes excessisse. Reminiscimini vidisse me exercitus ipsos, qui mihi propitii esse debebant, aduersariis meis cõiunctos rectà in me moueri, antequam meæ defensioni prospexissem. Et sanctè vobis affirmo, quòd horror belli ciuilis; miseriæ, calamitatesq; inde nascentes, quas præsentisco, me stupidum & sensus expertem reddidissent; nisi nimiã patientiam meã & cunctatiõnem huic regno fore perniciosam animaduertissem: dum perturbatoribus istis diuturnior licentia pro libidine grassandi in hoc regno permitteretur: Cùm igitur de religione agebatur, concilii legitimi iudicium subire volui; cùm de querimoniis ad hunc statũ pertinẽtibus, sistere Comitiis trium ordinũ. Optaui etiam in meũ caput omne periculum Franciæ deriuari, vt hanc ab excidio vindicarem; eamq; ob causam me-

met parem & æqualem iis vltro reddidi, quos natura me lõgè inferiores ediderat. Hi verò ex re propria calamitatem communem & ex controuersia priuata cõfusionem publicam fecerunt. Cõqueri iure possem iustas conditiones à me oblatas non fuisse acceptas. Cõqueror apud vos, vestra tamen causa non mea. Conqueror de extremis, ad quæ me iniuria maxima mihi illata impulerit; quòd meæ defensioni consulere non possim absq; populi innocentis detrimento. Doleo vicẽ meam, quòd vt meam salutem conseruem, necesse sit vos multa & varia incommoda pati, vos, inquam, quorum subleuationis & commodi causa sanguinem meum effundere paratus eram: nisi aduersarii mei maluissent certamen, ad quod eos prouocabam, parricidio in hunc statum & incendio generali facto subterfugere. Sed hoc me solatur vos optimè scire eam esse malorum naturam, vt hæc absq; aliquo malo curari non possint; eorumque causam non chirurgo (cuius finis est sanare) sed ei magis imputandã esse, qui vulnus ac proinde omnes dolores, qui ex

eo

eo manant, inflixit. Cæterùm fauēte Deo opt. max. breui poſt tot tantosque labores cernam hoc regnū iis purgatum, à quib. perturbatur; & videbo vos quiete firma & tranquilla frui, atq; eiuſmodi, quæ præteritorū omnium laborum memoriā obliteret. Coniicite, quæſo, ex effectis, quæ qualiaq; ſint ſtudia hominū, vt hi motus à vobis approbentur. Hoc genus hominū vos in eam ſpē inducere voluit pecuniæ publicæ abuſum ſublatum iri; ſe de vectigalibus & tributis diminuturos, ſeculum Ludouici XII ſę reducturos: Et ſi eis fides adhibita fuiſſet, efficere nitebātur, vt Patres populi ſalutarentur. Quid inde accidit? Horum bellum (poſtquam vbique omnia mirum in modum populati ſunt) in pacem commutatum eſt; quam dum compoſuerunt, nullæ rei alię prouiderūt, quàm priuato commodo & vtilitati ſuæ nulla de vobis facta mentione: Et quod peius eſt, eorum pax mox in bellum cōuerſa eſt aduerſus eos, qui pacificè viuebant: & illius ergò cogitur rex tributa imperare duplo maiora ſolito; plebs in prædam expoſita militi. Francia redacta (niſi

Deus auertat) ad ſe ipſam deſtruendã & ſubuertendam. Nam quid aliud eſt Edictum illud vi extortum, quàm neceſſitas Regi impoſita ad populum ſuum opprimendum, & ad ſeipſum ſua manu conficiendum. Si illis animus non fuit populũ ſubleuare, cur ſaltem ſatis non erat populo impoſuiſſe & verba dediſſe? quid commiſerat populus, vt ab illis opprimeretur? Prætexunt hoc malum nomine zeli Eccleſiæ: huius zeli feruor in charitate ſplẽdere debuit, & charitas in cõcordia vtriuſque religionis. Quæ verò charitas, quæ nihil aliud molitur, quàm excidium? quis zeli feruor, qui patriam incendit, & cuius flamma vniuerſus ſtatus conflagrat? Interim quia Eccleſiaſtici ſummam aliquã præ manu dederunt, vt animos adderent ad auſpicandum hoc bellum. En iacta eſt alea, populi erit ducenta circiter millia coronatorum comparare, & in poſterũ obligabitur ab iſtis ad multas coronatorum myriades erogandas. Nonnulli deniq; Eccleſiaſtici inuito Rege & ipſo Clero affectu priuato impulſi, de ſumma rei inter ſe tranſegerunt: arrhabonem præ

manu

manu dari curarunt. Sed miſeræ plebis erit hoc ratum habere,& reliqua præſtare & quidem grauiſſima. Plebs innocẽs, quę damnũ patitur, nec vllum commodum inde ſperare poteſt, omnia onera ſubibit,& omnia mala quæ inde eueniẽt, ſufferet. Hoc vobis iterum repeto. Natum me eſſe Principem Chriſtianum; me quæſiuiſſe & propoſuiſſe conditiones Chriſtiano dignas, quibus ſtatus hic cõponeretur, & Eccleſiæ concordia iniretur; me natum eſſe Francum me veſtris miſeriis affici: omnem lapidem me mouiſſe, vt vos ab his malis liberarem: ſalutis denique periculum me libenter ſubiturum, vt his finem imponam. Noui partem maximam veſtrum obnoxiam eſſe huic oppreſſioni: noui voluntates veſtras eſſe coactas: nolo vobis exprobrare actiones veſtras. Vos eſtis Franci, malim vobis veſtras voluntates adſcribere: Nihil aliud à vobis expeto (qui iuxta conditionẽ veſtram ferre magis quàm facere malũ eſtis obnoxii) quàm vota, deſideria & preces veſtras. Deum opt. max. orate, vt pro æquitate ſua ſecernat eos, qui quærũt

felicitatem huius regni, ab iis qui in fortunium: qui prosperitatem ab iis qui calamitates expetunt publicas. Ego verò Deum obtestor me nihil aliud optare, quàm commodũ huius regni, vestrûmque omnium: ita me Deus amet, si vnquam ambitione aut affectu aliquo praua arma sumpserim. Datum ad Montẽalbanũ Cal. Ianua. Anno MDLXXXVI.

Henricvs.

LITERÆ REGIS NAVARRÆ ad Parisienses.

Domini, libenter ad vos scribo (vos enim tanquam speculum & cõpendium huius regni amplector) non tamen vt æquitatem causæ meæ vobis exponã, quam scio vobis satis cognitam esse: sed vt vos testes adhibeam; vos, inquam, qui cùm multi & oculatissimi sitis, quicquid hactenus in hoc statu gestum sit, optimè perspicere potestis. Non vos latet, quale iudicium rex tulerit de auctoribus harũ calamitatum; quales hos vobis audientibus declarauerit & pronuntiarit. Vestrã opem

opem aduersus hos tanquã capitales hostes implorabat, & quidẽ eò tẽpore quo integram & liberam habebat voluntatẽ, & nondum vim vllam passus erat. Totã illam rerum conuersionem, quæ ab illo tempore consecuta est, scio vos eius volũtati non liberè sed coactè adscripsisse. Vt sanè certior factus fui, cùm paulò post rogati essetis in hoc bellum sumptus erogare, bene vos respõdisse, has turbas vestro suasu excitatas non fuisse; horum esse qui eas excitarant; non vestrum sumptus facere. Quod quidem responsum dare nõ soliti estis, cùm de obsequio regi præstando aut de regni commodo agitur. Namque vlli ne vnquam subditi vobis in simili causa liberaliores fuere? Verùm cùm animaduertitis pecunias vestras nõ in reparationem (vt aliquando vobis imponitur) sed in pernicie regni conuerti: quũ perspicuè videtis non postulari à vobis monilia vestra ad summam redemptionis Regis Francisci, aut liberorum suorum, aut deniq; Regis Ioannis conficiendam, imo ad sanguinem & posteritatem Franciæ extinguendam, & ad Regem

vestrum in carcerem & seruitutem redigendũ. At optimè noui regem vobis magnam gratiam habuisse, & oẽs pios Francos vobis eadem ratione obstrictos esse; ego verò vobis peculiari quadam obligatione teneor pro dignitate quam Dei beneficio in hoc regno obtineo, & pro sanguinis necessitudine qua Regi sum proximus. Perpendite, quæso, quàm necessarium vobis fuerit hoc bellum; scitis hũc statum tunc tẽporis in dies magis ac magis ad pacem spectasse. Si quid in religione mutandum erat, absque vlla innouatione conuocare oportebat; si quid in administratione huius status, Rex ordinum comitia indicere nõ recusasset. Et vt causam horum malorum præciderem, scitis me declaratione expresè edita memetipsum his comitiis submisisse; imò duello etiam rem expedire voluisse, ob quã priuatim perturbatores isti in me inuehuntur. Qui igitur salutares istas conditiones respuerũt; ii belli istius sunt auctores; belli, inquam, minimè necessarii, eamq; ob causam iniusti. Me verò, qui eas ardenter expetii, iisq; lubentissimo animo me subieci,

ieci, immunem & minimè conſciũ malorum inde naſcentium ſentio: nam volupe illis fuit ex legitimis conditionibus mea ad omnia extrema reducere; mea igitur arma eã ob cauſam naturalia ſunt, neceſſaria & proinde iuſta. Conferte deniq; obſequium meum cum illorũ contumacia, incredibilem patientiam meã cum illorum præcipiti audacia, actiones etiã meas moderatas cum illorũ immoderatis affectibus: & hinc colligite quales illi habẽdi ſint in hoc regno, & qualis ego ſim. Inferetis certè maximam iniuriam mihi factam eſſe, ita vt nullus nobiliũ ſit in hoc regno, qui non conaretur & cui non eſſet conceſſum iniuriã vlciſci. Hoc verum certumq; eſt; quæ conſecutura ſunt, præſentiſco: innocentes multa paſſuros præuideo: Sed animis veſtris ſubinde reuoluite, eos eſſe meos hoſtes, qui regis & regni hoſtes pronuntiati ſunt; qui quietem publicam turbatũt, qui exteros accerſerunt, qui domeſticos exterminarunt, qui ab hoſtibus mutuò acceperunt, quideniq; facultates ſuas non in meam perniciem ſolùm, ſed in huius ſtatus cõfuſionem collocarũt. Tũ eorũ ſceleri im-

putabitis, quicquid mali iusta defensio aduexerit: exosos eos habebitis, propter quę consequentur, mala, vt iã auctores & cõscios esse cognoscitis malorum, quæ primùm inuecta sunt. Ego verò vicẽ meã dolebo: quòd penes me nõ sit malũ sine detrimento expellere in vniuersum ex hoc regno: solabitur me saltẽ mea integritas; quòd hæc mala salutis meæ dispẽdio redimere voluerim, quam quidẽ pro conseruatione huius regni, vestrorumque omnium bene profusam esse existimabo. Postremò (vt paucis cõplectar) à vobis omnia expecto, quæ speranda sunt à veris Francis, & ab iis qui cæteris Francis honestæ probitatis; vitæ exemplũ præbent. Expectate vicissim à me, quicquid à Principe Franco & Christiano pro concordia Ecclesiæ, obsequio in regem, commodo huius regni, populi leuamine & omnium populorum tranquillitate sperãdum est. Deũ opt. max. precor, vt huius regni miseriatur, & omnib. rectũ consiliũ pro sua gloria & vtilitate publica largiatur. Datũ ad Montẽ albanum Cal. Ian. Anno 1586.

Henricvs.

REGI-

REGIBVS CHRISTIANISSIMO GALLIÆ, ET SERENISSIMO NAVARRÆ CONSILIUM AD SOPIENDA SCHISMATA.

PER ANANIAM DE Ieraucourt.

NIHIL est quod magis conturbet hoc tempore quietem publicam (Reges Christianissimi & sereniſſimi) magisque foueat ſchiſmata, quã male cõcepta cleri opinio. Timet enim clerus ſi reformatio conſtituatur, fore vt eccleſiaſticus ſtatus euertatur. Hæc præcipua occaſio fuit omnium ſchiſmatũ, quæ in Gallia hactenus excitata fuerũt, præſertim verò huius nouiſſimi. Clerici enim dũ verentur ſtatus ſui euerſionem per reformationẽ, malunt partem aliquam erogare & contribuere ad reformationem expugnãdam, quam eius gratia totum amittere. Qua in re tamen falluntur. Si enim reformationis ſcopus plane innoteſcat, patebit ilico eam nulla iniuria afficere clerum, ſed cõtra ei commoda multa afferre. Nec tan-

tum clero sed & regibus, & aliis principibus & populo, nec solum in iis quæ ad conscientiam spectant, sed etiam ratione status ciuilis.

Causa verò quæ clero ansam præbuit timendi euersionem status sui, fuit ignoratio iuris diuini, & veri reformationis scopi. Aliqui enim cum vidissent Dominum nostrum Iesum Christum noluisse inter Apostolos suos aliquē reliquis præferre, sed omnes eos in æquali gradu constituere, cogitarunt omnes episcopos debere esse æquales. Cumque vidissent D. Paul. monuisse Timotheum discipulum suum, vt victu & vestitu sibi satisfactum putaret, cogitarūt victum & vestitum esse episcopis administrādum, reliquos vero prouentus eis adimendos esse. Quod quidem sicut multis incommodum, sic molestum esset.

Archiepiscopi enim ægre ferrēt se simplicibus & minimis presbyteris & curionibus adæquari. Et ii qui possident quinquaginta milia aureorum plus minus annui reditus non absque dolore paterētur se iis spoliari, & sibi tantum ducentos aut trecen-

trecentos tribui. Quapropter ſatius ducunt partem aliquam expendere ad expugnandam reformationem. Hinc factum fuit vt clerus multa contribuerit ad eam expellendam: Et hæc occaſionē dederunt in Gallia inimicis quietis publicæ omnia perturbandi & concitandi, quod nunquam auſi fuiſſent, niſi freti præſidio & facultatibus cleri. Clerus vero eis non contribuiſſet niſi hæc pertimuiſſet, quod tamen timere nō debebat, cū ſcopus reformationis non ſit euerſio ſtatus cleri, nec ſit aliquid commune inter reformationem ſuperſtitionū & cleri euerſionē; Sed reformatio fieri poteſt abſq; vllo cleri damno, imo ita vt ſit clero & omnibus vtilis & commoda. Quæ vt facilius innoteſcant, nos paucis docebimus quibus in rebus conſiſtat reformatio, ſimulq; oſtēdemus eam nulla iniuria afficere clerum, ſed contra ei eſſe commodam & toti reipublicæ.

Cōſiſtit enim reformatio in eo ſolo vt auferantur ſuperſtitiones. Quæ vt facilius præcipiantur, prænoſſe oportet quædam eſſe inter Catholicos & reformatos

in quibus ipsi conueniũt, qualia sunt verbum Dei in vtroque fœdere contentum, confessio fidei, & fidei atticuli. Alia sunt in quibus doctores discrepãt, qualia sunt variæ locorum scripturæ explicationes, quæ tamen controuersiam non faciunt, quare ea relinqui possunt, ad exercendũ Theologorum stylum. Ea quæ controuersiam possunt mouere, sunt aut superstitiões aut status cleri. Superstitiones de quib. reformati conqueruntur, sunt peregrinationes, & reliquiarum visitationes, Imagines & earum cultus, purgatorium, inuocationes sanctorum, & precationes pro defunctis, quæ ab ipsis doctoribus Catholicis maiori ex parte damnantur; sed dicunt debere adimi autotirate regia, quod verum est. Posset ergo Rex aut ea adimere, aut legitimam & liberam eorũ disputationem ea de causa instituere, aut reformatis ideo conquerentib. ius dicere ex verbo Dei. Clerici tamen respuũt harum rerum correctionẽ aut liberã disputationẽ, veriti ne si superstitiones corrigãtur, eis simul adimãtur possessiones & prouentus quæ superstitionis gratia eis data fuerunt.

fuerunt. Quod tamen non debent timere, quia etiam iure eis adimi non possunt, sed conuerti in meliorem vsum. Si enim ducenta thuribula coniuratorum, qui cũ Chore, Dathan & Abiron, cõtra Mosem schisma mouerant, nõ adempta fuerunt, etsi data fuissent ad vsum schismaticũ, sed fuerunt in meliorem vsum conuersa, vtpote posita in laminas aureas super aram Domini: Ea pariter quæ data fuerunt ad vsum superstitiosũ, possunt in vsum meliorem & pium conuerti. Vt ea quæ data fuerunt pro inuocatione sanctorum, possunt conuerti ad inuocationem nominis Dei. Et ea quæ destinata sunt ad precationes pro defunctis, possunt conuerti ad preces pro superstitibus, & eorũ instructionem. Et sic clero nequaquam incommoda sunt. Si vero de statu clericorum loquamur, reformatio nulla iniuria afficit clerũ. Reformatio enim cõsentit iuri Diuino, Diuinũ ius constituit priuilegia clericorum in antiqua lege Mosaica, in persona Leuitarũ. Christianus vero clerus succedit antiquis Leuitis in onere, & per consequens in munere. Itaq; succe-

dunt omnibus eorum priuilegiis excepta parte literali ceremoniæ quæ sublata est. Possunt ergo frui iisdem dignitatib. quib. antiqui Leuitæ fruebantur, videlicet vsq; ad summã, sed non vniuersalẽ, & similib. possessionib. & prouentibus, exceptis sacrificiis; quoniã sacrificia sublata fuerunt per sacrificiũ vnicum agni dominatoris terræ, scilicet agni Dei qui tollit peccata mũdi. Quæ omnia vt facilius percipiãtur, nosse oportet Dñm nostrũ Iesum Christum nõ abrogasse iura legalia, nec posse abrogari sicut ipse dicit apud D. Ioan. Scripturam nõ posse irritã fieri: quod intelligendũ est de Diuinis constitutionib. non de Mosaicis concessionibus quæ corrigi possunt, vt diuortiũ & polygamia. Potest etiã Deus derogare constitutionib. suis vt ceremoniæ derogauit dũ eius partẽ literalem ademit: At abrogare non potest, neq; derogat nisi expressa lege. Quare cũ nulla derogatio antiquorum priuilegiorum cleri inueniatur in toto nouo fœdere, ea integrã manent nẽc patiuntur alterationem, sed ceremonialia tantũ, qualia sunt sacrificia & primogenitorũ redemptiones & similia. Ali-

Aliqui tamen ex eo quod Dominus noluit ex Apoſtolis ſuis aliquem cæteris præferre, inferunt oēs epiſcopos debere eſſe æquales, quæ illatio ſolida non eſt: Apoſtoli enim erant inter ſe æquales, verū epiſcopi non erant æquales Apoſtolis, ſed Apoſtoli erant ſuperiores reliquis epiſcopis, & veluti ſummi. Et referebant ſummos epiſcopos ſingulorū regnorū. Dominus igitur dum noluit epiſcopos alios aliis præferre, demonſtrat ſummos epiſcopos diuerſorū regnorū non debere alios aliis præterri dominatione. Quod nō impedit ius ſummi epiſcopi in eodē regno, ſed vniuerſalis qui præſit, ſummis epiſcopis variorum regnorū. Exquo manifeſtū eſt gradus dignitatum eccleſiaſticarū ad ſummā vſq; iure Diuino conſtitui, & nō impediri: Sed non ius vniuerſalis epiſcopi permittitur. Dicet tamen aliquis vnicū fuiſſe ſub antiqua lege ſummū ſacerdotē, & ideo vnicum debere eſſe ſummū pontificem inter Chriſtianos. Reſpondemus ſub antiqua lege vnicū fuiſſe Dei populū, & vnicum principem illius populi Moſem, cū cōſtitutum fuit Aaronis ſacerdo-

tium. At nunc multi sunt principes & populi Christiani. Quare sicuti sub vno principe Israelitico fuit vnus summus sacerdos, sic quilibet princeps Christianus potest sub se habere summum sacerdotem. Est insuper alia ratio, cum sacerdotio .n. tunc erat coniuncta figura solius summi sacerdotis secundum taxim Melchisedechi, quæ figura nunc sublata est, & sic nō impedit quin plures summi sacerdotes esse possint, singuli in singulis regnis & principatibus. Dicit Dominus Apostolis suis, principes huius seculi dominari populis, & se nō sic debere facere: quib. docet dignitates ecclesiasticas non tam dominationis, quam iurisdictionis gratia esse constitutas. Præcipit Dominus Deut. 17. vt sacerdotes doceant legem Domini qua populum iudicent. Ex quo duo consequuntur; vnum quod episcopi debent populum Dei iudicare non ex traditionibus humanis, sed ex lege Dei. Alterū eos debere, docere legem qua populum iudicant. hoc est eam in sententiis suis exprimere, vt pateat integritas officii sui, & vt in officio contineantur.

Quæ

Quæ quidem iuris Diuini obſeruatio, melior eſt quam traditionū humanarū, quibus epiſcopus vniuerſalis nititur, & ex quibus totus pēdet, tametſi nullo certo iure ſed nudo prætextu.

Aſſerit enim Papa ſe poſſidere ſedem Apoſtolicam, & reliquis epiſcopis ſe ſuperiorē eſſe, qua in re detrahit reliquis ſummis epiſcopis, qui non minus quam ille ſunt ſucceſſores Apoſtolorū, & non ſunt eo minores. Nititur etiā donationi Conſtantini magni, quod tamen non eſt ſolidū ius, ſed nudus prætextus. Aliqui enim eam impugnant, verum nos eam hypotheſeos gratia concedamus, quid inde ſequitur? Eum habere poteſtatem ſuper reges? nequaquam, ſed ſuper ſacerdotes. In antiqua enim lege Aaron ſummus ſacerdos erat ſubiectus Moſi principi Iſraelitico & eius ſucceſſores ſubiiciebātur regib. Iudæ: Ex quo patet reges non debere ſubiici epiſcopis, ſed epiſcopi regibus. Temere igitur Papa ſibi eam autoritatem arrogat, quam non ei dedit aut dare poterat Cōſtantinus magnus. Et quamuis dediſſet, eius donatio nullam habet vim in il-

los qui non ſunt imperio ſubditi, qui non agnoſcunt autoritatẽ Cõſtantini magni.

Mirum ergo eſt reges Chriſtianos qui nolũt imperatoris autoritatẽ agnoſcere, aut ei cenſum tribuere, fieri tributarios imperii in perſona Papæ, & velle ei ſubiici, cum tamen magis honorificum eſſet ſubiici imperatori quam eius donatario, qui nullũ habet ius præter illud quod imperatores ei tribuunt. eſt enim imperatoris creatura, & ex nullo alio quam ex imperatore pendet. Et quod maxime mirũ eſt, reges in rebus ciuilibus nolunt imperatori ſubiici. Et in iis quę conſcientiam ſpectant quæ ſunt maximi põderis, eius creaturæ ſubiiciuntur. Præcipue cũ videant eius dominationẽ ſibi perniciosam eſſe, & per ſæpe cõturbare eorum regna. Et excitare ſubditos cõtra reges ſuos, & aliqñ reges in monaſteria trudere. Et adhuc magis ac magis mirum regẽ Galliæ ei ſubiici, cũ propter eius ſuperſtitiones Gallia toties fuerit ſchiſmaticis fluctibus excitata: mirum deciſionem rerũ eccleſiaſticarũ Romæ quæri cum in Gallia ipſa, & aliis regnis expediri poſſit, abſq;

damno

damno aut incommodo, aut sumptibus.

Ponamus insuper illam donationem à Constantino magno factam fuisse; attamen non Papæ dedit Constantinus autoritatem vt officio abuteretur, vt abutitur, sed vt ea legitime vteretur, quod non facit: quare eius abusus irritam facit donationē. Secundo, eam irritam facit ingratitudo Papæ erga imperatores. Omnis enim donatio censetur rupta, & irrita fieri per ingratitudinem donatarii erga donatorem suum. Quænā vero maior ingratitudo donatarii peti potest, quam Papæ fuit erga donatores suos imperatores, qui eis bella intulerunt & pedibus ceruicem conculcarunt, etiam abhibita atroci cōtumelia qua nuncuparunt imperatorem serpentem & draconē, quæ sunt epitheta quæ diabolis tribuuntur? Itaque per hanc ingratitudinem, Constantini donatio si qua est, iure irrita est, ita vt ne subditi quidem imperii iure Papæ subiiciantur. Et quamuis subiicerentur, tamen imperator qui nūc est, posset quos vellet dispensare, & à Papę subiectione liberare.

Si vero nitatur autoritati conciliorum

ea nihil Papæ proficit. Etenim autoritas conciliorum pẽdet, aut ex verbo Dei, aut ex imperatore. Ex verbo Dei pẽdet quatenus cum Dei verbo conuenit: At hoc loco ſi concilia Papam approbauerint, eorum approbatio nõ poteſt cũ Dei verbo conuenire, cum verbũ Dei nõ approbet taxim epiſcopi vniuerſalis, vt ſup. oſtendimus. Quare concilia non obligant Papæ exteros imperii, & ii qui ſunt ſub imperio nõ ſubiiciuntur Papę, niſi quatenus imperatori placet, ſi modo non pugnet ex diametro cum Dei verbo. Videmus ergo quã vanus ſit epiſcopi vniuerſalis prætextus. Si qua igitur in clero reformatio inſtituenda eſt, ea eſt vt auferatur taxis illegitima epiſcopi vniuerſalis: quæ nulli vtilis eſt ſe excepto, & omnib. eſt incommoda, ſeu cõſcientiam ſpectes ſeu ſtatum ciuilem. Papæ enim nunquã conſenſerunt, vt aliqua reformatio fieret in eccleſia: ſed omnia deprauarunt & reformationibus obſtiterũt quas ipſi ſuſcipere debebant. Quod ad poſſeſſionum & prouentuum eccleſiaſticorum ius attinet; Poſſeſſionum quidẽ ius in antiqua

lege

lege constitutum, non fuit sub nouo fœdere abrogatum. Aliqui tamen existimarũt Dominũ abrogasse decimas dũ dicit, Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quoniam decimatis menthã & anethũ & cyminũ et deseruistis ius & misericordiã. Verum non vident eum potius approbare dũm subiicit, hæc (inquit) oportebat facere, & reliqua non omittere: demonstrãs faciendum esse ius & misericordiã, quæ sunt præcipua legis, & reliqua non omittenda, videlicet decimas. Qua in re tantum abest vt abroget ius decimarum quod cõtra illud confirmat etiã eo ipsissimo tempore quo ipse corrigebat ea quę corrigenda erant in lege, vt diuortium & polygamiam. Itaque manent prouentus ecclesiastici sub nouo fœdere, demptis tamen ceremonialibus qualia sunt sacrificia & redemptiones primogenitorũ & similia.

D. Paul. admonet Timoth. discipulũ suum, vt victu & vestitu sibi satisfactum putet, ex quo aliqui inferre volũt sufficere, si clericis administrẽtur ea quæ ad victũ & vestitũ spectant, reliqua eis adimẽ-

da esse, falluntur vero in eo quod non distinguunt admonitiones à præceptis: Præcepta enim constituunt legem ab omnibus obseruandam, & distinguũt bonũ à malo, admonitiones discernunt bonum à meliori, nec cõstituunt legem, sed docent, quæ potius fieri debeãt ex iis quę iure fieri possunt. Sic æquitas est bona, charitas vero melior; potest ergo quis admonere aliquem, vt potius charitate vtatur erga proximum quam ęquitate, & tamen non damnat æquitatem. Sic nuptiæ sunt bonę cœlibatus illibatus melior, põt ergo quis admonere socium, vt persistat in cœlibatu, & in argumẽtum ducere incommoda nuptiarum, & tamen nuptias non damnat, nec cogere potest proximũ ad cœlibatũ. Sic moneri possunt, non cogi clerici, vt contenti sint victu & vestitu, & tamen prouentus ecclesiastici etiam si incommoda in iis incidant non damnãtur, vt iniqua aut illegitima. Et eodem modo D. Paulus admonitione sua erga Timoth. non damnat ius prouentuũ ecclesiasticorum. Nec ideo quis potest clerum cogere ad eos deferendos. Planesi sponte

ſponte fiat, melius eſt victum & veſtitum ſolum petere, quã decimas exigere. Sicut etiam melius adhuc eſt propriis manibus operari & eccleſiæ euãgelizare exemplo D. Pauli, verum decimas exigere non eſt iniquum clero, modo ius & charitatem, quæ ſunt præcipua legis exerceant.

Si vero ius & miſericordiam deſerant, per decimas ſibi maiorem acquirunt & obſignant condemnationem. Et multo maioris iudicii rei ſunt ii qui contra ius Diuinum expugnant veram pietatem & fouent ſuperſtitiones.

Itaque iura Diuina non adimunt clero priuilegia ſua, ſed conſtituunt. Dãnant vero ſuperſtitiones veræ pietati repugnãtes. Quare reformationis ſcopus eſt; vt auferantur omnia quæ ſunt contraria iuri Diuino, vt epiſcopatus vniuerſalis & ſuperſtitiones, non autem vt euertatur clerus aut vlla iniuria afficiatur. Hæc ſi clerus Gallicus noſſet, nõ reformationẽ expugnare conatus eſſet: Et mirũ eſt clerum non præuidere conſequentiam ſuarum contributionem, quam iam expertus eſt. Iam enim decimæ ad expugnan-

dam reformationem ab iis exigi cœperunt, & postea in consequeniam huiusmodi exactio ducta fuit. Et simile fiet nũc nisi mature sibi prospiciant. Quare cum ego videam mala & incommoda, quæ Galliam per annos vigintiquinque infestant, & maiorem adhuc imminentẽ perniciem, nisi Deus sua benignitate iis prospiciat, humillima supplicatiõe à rege peto, vt hoc maturo consilio & tuto remedio vtatur, quo absque vllo incommodo aut periculo potest, sibi & toti Galliæ prospicere. Et quidẽ facillimo negotio, cum iã priuilegia eccle siæ Gallicanæ viã ostendant, qua Papam deserere põt absque innouatione. Et similiter superstitiones adimere quæ sunt causa schismatis. iam enim doctores Catholici cõfitentur eas adimendas esse, sed per regem, quod verum est: at hoc modo conscientia regis obligatur ad illas adimendas, & si non adimat ex eorum confessione, rex ea de re rationem est redditurus coram Deo, Deus vero nõ admittet excusationem si quis rex dicat Papam debere illud agere, nam Deus non eos Papæ subiecit.

Hæc

Hæc quam vtilia sint cognoscere poterit Maiestas sua si perpendat mala & incommoda quę ab hinc viginti quinq; annis in Gallia extiterunt propter schismata, & schismatica bella ciuilia. Hac enim via schismata pacari possunt in Gallia: Et in exteris nationibus, si eodem consilio vtantur, præoccupari possunt schismata quæ simili ratione excitari possent. Ita vt hæc aliis regibus & principibus non sint minus commoda.

Quam honorifica sint colligere potest Maiestas sua ex Ezechia & Iosia regibus Iudæ, qui ei viam præmonstrarunt, & simili ratione sibi decus acquisiuerunt sanctorum & piorū regum. Papa Gregorius voluit Pontificatum suum celebrare per correctionem Kalendarii: At reges huius tēporis possunt regna sua meliori & præstantiori stemmate celebrare, per correctionem superstitionum, quæ absq; vlla comparatione & supra omnem modum illustrior est & vtilior. Hæc etiam quam grata sint Deo colligi potest ex eius præceptis, & exemplis piorum & sanctorum

regum Ezechiæ & Iosiæ. Quare quis recusabit suscipere negotium omnibus vtile, sibi honorificum, & Deo gratum?

Hac etiã de re posset sua Maiestas cũ rege Nauarreno conuenire, vt cum Catholicis reformati conciliarentur. Existimo enim reformatos non recusaturos cũ Catholicis consentire, dummodo superstitiones a religione Catholica auferãtur, & non subiiciantur Christi antistiti, quẽ ipsi Antichristum vocant.

Sic obtineret Rex via iuris & rationis quod alii via armorum nunquam obtinebunt, vt videlicet omnes Galli in vnũ consentiant. Nec dubitandũ quin Deus tam sanctis cœptis faueat, regemque cumulet gratia & benedictione, si rex volũtatem Dei exequatur. Perpendat enim vitam Ezechiæ; is confregit serpentem æneum, & sic repurgauit ecclesiam superstitionib. Cumq; rex moriturus esset, precatus est Deum pro vita sua, Deus vero produxit tẽpus vitæ suæ totis quindecim annis, duplicans tempus regni sui, quod nunquã alteri accidisse legitur. At Deus

est

eſt immutabilis & ſi quis eadem pietate vtatur, ipſe quoq; ſimili gratia vtetur erga illum.

FINIS.

CORRIGENDA.

Pag. 17, v. 6, naſcerentur. p. 18, v. 24, præcipitatus ſit p. 19, v. 11, vult. p. 21, v. 8, tributis. v. 19, Qui. p. 22, v. 16, eſſet. p. 23, v. 14, ſe eſſe Regem. v. 26, ſe. p. 25, v. 20, ſua. p. 31, v. 18, minorem eſſe. v. 20, vt. v. 21, quin potius ſua M. optat. p. 36, v. 18, tolle, vt. p. 39, v. 8, (quas vt admitteret, neceſſitas & pecuniæ inopia maiores ſuos impulit) p. 40, v. 13, calumniari. p. 43, v. 12, ſuam. p. 44, v. 13, quiuis. p. 45, v. 17, iamprídem. p. 62, v. 12, irrepſiſſent. p. 75, v. 23, munerum. p. 77, v. 15, præcipuis. p. 86, v. 15, Franciſco 2. p. 88, v. 9, alicui. v. 11, parabat. p. 119, v. 8, toti. v. 14, cœpit. v. 17, indixiſſent. p. 129, v. 15, conflandæ aſſociationis cauſa. p. 133, v. 21, erga. p. 136, v. 19, ſuos. p. 137, v. 4, vt. p. 146, v. 3, abhinc. p. 168, v. 2, Magne. p. 175, v. 9, cædunt. p. 178, v. 24, eſſe. p. 184, v. 18, curare. v. 23, toleretur. p. 198, v. 7, prætextus. p. 205, v. 9, inſidiarum. p. 213, v. 23, exequendis. p. 218, v. 1, effinxerant. p. 230, v. 6, tolle &. p. 238, v. 9, nomarchæ. p. 247, v. 20, poteſtates. p. 252, v. 11, ad. p. 265, v. 22, coronidis. p. 284, v. 2, adhibebimus. v. 5, vindicare. p. 290, v. 25, incurrerint. p. 295, v. 12, tolle &. p. 296, v. 20, adhortati. p. 321, v. 5, reduceres. p. 329, v. 11, eximeret. p. 332, v. 24, oſtendamus. p. 352, v. 17, manifeſto. p. 368, v. 22, miſcreatur.